

539930
Központi Raktár

E P I T O M E VITÆ, & MIRACULORUM D I V I A N T O N I I P A D U A N I

Ordinis Seraphici Sideris lucidissimi , to-
tumque per orbem Miraculis Thaumaturgi ,

Olim Viennæ in Austria , nunc vero

Ad majorem DEI , Deiparæque Gloriam ,
nec non peculiarem S. Antonii venerationem , Anima-
rumque Salutem promovendam ; pro solatio item
Filiorum S. P. FRANCISCI ,

I N A L M A
SS. SALVATORIS PROVINCIA
Strictiorem sacræ Regulæ Observantiam
Profitentium

Cassoviæ in Hungaria denuo luci data , & per Capitula
distinctim exposita Anno 1756.

INDUSTRIA PP. ERANCISCANORUM.

Ibidem , Typis Academicis Soc. Jesu,

^{DOMINI} UERBIS MODERATIONE
UNIVERSAM
THEOLOGIAM
SCHOLASTICO-
SCOTISTICAM
HONORI
AC PROFUNDISSIMÆ VENERATIONI
ADMOD. REVERENDI, ac EXIMII PATRIS
BONAVENTURÆ
LENICH

Ordinis Minorum Regularis Observantiæ,
Prædictoris, Theologi, ac Almae Provinciæ Bulgariæ
iteratò MINISTRI PROVINCIALIS Dignissimi.
AD MODUM REVERENDORUM PATRUM
EXMINISTRORUM
PROVINCIALIUM.
REVERENDORUM item PATRUM
CUSTODIS, & DIFFINITORUM.
Totiusque Almae, & laboriosæ
PROVINCIAE BULGARIÆ
Humillimè dicaret, devoveret, sacraret.

Atque
COLENDISSIMIS SUB AUSPICIIS
PRÆLIBATORUM SUORUM
SUPERIORUM

Cassoviæ, in Conventu PP. FRANCISCANORUM
Annô 1756. Mense Septembri Die
publicè propugnandum susciperet

RELIGIOSUS PATER

BENEDICTUS STRACKA

Ordinis itidem Minorum Regularis Ob-
servantiæ, Provinciæ Bulgariæ professus, & in Studio
Generali Cassoviensi SS. Theologiæ, & Sacrorum
Canonum Auditor absolutus.

P R A E S I D E

P. JOSEPHO TELEK

Ejusdem Ordinis, Provinciæ Hungariæ
SS. Salvatoris, in dicto Conventu SS.
Theologiæ LECTORE Ordinario.

THESES EX UNIVERSA THEOLOGIA.

I. C Redimus DEUM, & scimus; 2. De cuius conceptu formalis & quiditativo, num sit esseitas, vel infinitas radicalis? esto problema. 3. Essentia Divina ab attributis, & personalitatibus distinguitur formaliter ex natura rei. 4. Intellectus creatus naturaliter impotens videre DEUM, ad id divinitus elevabilis est: potestque videre essentiam sine Personis, unam Personam sine alia, & attributum unum sine alio. 5. Et hoc juxta inæqualitatem Intellectuum inæqualiter. 6. Datur in DEO scientia comprehensiva sui: cuius objectum primarium est Essentia Divina, reliqua verò hōc, vel illo modo secundarium, ac proinde 7. Cognoscit eventus liberos tam absolutē, quam conditionatē futuros in Decreto condeterminante Scotistico, 8. Absque scientia Media, quæ in DEO nec datur. 9. Electio efficax ad Gloriam fit ex prævisis meritis, reprobatio verò ex demeritis. 10. Præter tres subsistentias relativas, datur in hoc Divinæ Trinitatis Mysterio subsistentia absoluta essentiæ; 11. Filius est verus DEUS, qui procedit ex cognitione Essentiæ, attributorum, & Personarum, Spiritus autem Sanctus ex amore eorum. 12. Hic à Patre, & Filio, ille autem à solo Patre procedit; quodsi tamen Spiritus Sanctus à Filio non procederet, adhuc ab illo realiter distingueretur. 13. Si Adam non peccasset, soli electi nati fuissent; tot viri, quot mulieres. 14. Angeli sunt produceti cum mundo corporeo, omnes in gratia sanctificante, & virtutibus ei annexis. 15. Perduelles torquentur ab igne infernali tantum intentionaliter. 16. Gratia efficax à sufficiente non differt intrinsecè. 17. Defacto conferuntur omnibus hominibus auxilia sufficientia ad salutem. 18. Gratia efficax in actu primo non constituitur per consensum arbitrii creati, cum hic sit effectus gratiæ; verum 19. Per complexum ex auxilio supernaturali entitatib[us] indifferenti, & omnibus attemp[er]atis circumstantiis, eidem auxilio junctis, in quibus DEUS ab æterno præscit voluntatem cooperaturam gratiæ, i[us]cum decreto concomitante. 20. Finalis perseverantia est specialis gratia, 21. Merita mortificata reviviscunt in justificatione quoad totum jus, quod antea habuerunt. 22. Dantur actus humani in individuo indifferentes. 23. Peccatum mortale in ratione offendit non est intrinsecè infinitæ gravitatis: 24. Posset conciliari cum gratia materialiter accepta; 25. Aut remit-

remitti per solam condonationem extrinsecam. 26. In Adam omnes ejus posteri peccaverunt (exceptâ Illibatâ Deiparâ V. MARIA) viâ naturali ab eo descendentes. 27. Incarnatio Divina non solum possibilis, sed etiam fuit conveniens Deo , naturæ humanæ , & toti universo ; 28. Ad eam tamen ponendam Deus non necessitabatur absolutè ; 29. Imò nec ex suppositione, quod condigna satisfactio pro peccato ponenda fuerit : 30. Nam pura creatura pariter de condigno satisfacere potuisset. 31. Hæc admirabilis Verbi Divini Incarnatio jam est exhibita ; 32. Decreta autem fuit ante prævisionem peccati, eatenâs , ut Adamô non peccante adhuc Christus venisset vi moderni decreti. 33. Christus Dñus , & S. PP. meruerunt aliquas circumstantias Incarnationis , & Illibata Deipara Maternitatē . 34. Verbum assumpsit etiam Sanguinem , & alias partes fluidas; de absoluto autem etiam Angelicam naturam, vel aliam quamcunq; subsistentiæ capacem assumere potuisset. 35. Possibile quoq; erat, ut natura à Verbo assumpta non foret actu beata. 36. Potentia patrativa miraculorum Christi non fuerat physica, nec actiones meritoriae valoris infiniti intrinsecè , & formaliter. 37. Humanitas Verbo conjuncta non est ubiq; habet gratiam , & existentiam finitam , & adoranda est cultu latriæ . 38. Virtutes Theologicæ sunt habitus per se infusi. 39. Charitas est habitus realiter indistinctus à gratia. 40. Lex humana non præcipit actus mere internos , obligare tamen potest in conscientia. 41. Simplex usus facti in rebus unicō actu consumptilibus separatur à dominio. 42. Religiosi (exceptis Fratribus Regulam S. P. Francisci in puritate observantibus , & domibus professis Societ. JESU) habent in communi dominium rerum, non item in particulari, ob specialem Ecclesiæ dispositionem. 43. Iudex nunquam potest condemnare ad mortem , quem privatim scit esse innocentem, etiamsi in foro externo fuerit reus convictus secundum allegata , & probata. 44. Sacraenta novæ Legis sunt septem: causant gratiam ex opere operato , non physicè , sed moraliter ; 45. Vivorum aliquando causant gratiam primam , mortuorum verò secundam. 46. Baptismus directè occisivus nullus est; cum obice suscepimus reviviscit tandem ad gratiam. 47. Eucharistia potuisset institui ante Incarnationem. 48. Modica aqua in Sacrificio admixta, priùs in vinum , deinde convertitur in sanguinem. 49. Non tenetur quis statim , ac graviter deliquerit perse loquendo pœnitere. 50. Non est de ratione Matrimonii, ut Conjuges directè consensum dirigant ad usum juris in corpus ; inde inter Illibatam Virginem MARIAM , & castissimum ejus Sponsum S.

JOSEPHUM fuisse verum Matrimonium , concludimus.

Quæ sint O. A. M. D. G. S. P. F. H.



E P I T O M E
Vitæ , & Miraculorum
D I V I A N T O N I I P A D U A N I ,
C A P U T . I.

S. Antonius nascitur Ulyssipone in Lusitania.



I.
Arrant Historici nonnulli , magis ut assententur , quām ut verum edifferant , Ulyssen (confecto , cui intersuit , bello Trojano , ejusdēmque Urbis excidio) dum Græciam repeteret , & Mare Mediterraneum fulcaret , ut Oceanum ascenderet , ventis abreptum , bis rupibus , olim Promontorium sacrum , nunc S. Vincentii dictis , appulsum , tandem Tagi faucibus penetratis , quatuor milliaribus adverso flumine , cum classe progressum , continentis suos milites exposuisse , explorato , probatōque circum situ regionis , annis ab hinc mille tribus Urbis Lisbonæ prima jecisse fundamenta , hancque Ulyssipo (populum diceres Ulyssis) indigitasse .

2. Ast tamen alii , solidiori certitudine , Civitatem hanc longiori producunt origine , dum eam ab Elisa deducunt exædicatam , qui , teste sacrâ Paginâ , Gen. 10. Japheti nepos , se-

A

cun-

cundūm Josephum, primus Europæ colonos invexit, unde nomen Elisea sortita est, quod, unā mutatā literā, Ulyseam, nunc Lisbonam sonat. Quamobrem suum ortum à famoso cataclysmo totius Universi derivat. (a) Situs Urbis præstantia, delitiæ, cum maximis Urbium Europæ certant; Majestas ejus Imperii, fines terrarum Orbis ambit, siquidem in omnes ejus partes, etiam longissimè dissitas, arma sua vicitrixia promovit, iisque dominata est, quam ad Solem Orientem septem quinquaginta Regna suam Imperatricem venerata sunt; totus verò Mundus, ad illam, velut Emporium opulentissimum confluxit.

3. Urbs hæc tametsi longè, latèque famosa multis titulis, omnes tamen alias excedit, quòd Antonium protulit, portentum Sanctitatis, & miraculorum. Agitur autem inter Philosophos illa quæstio, num reliquis fortunæ bonis annumerandum sit, si celebri quis, & laudatâ patriâ progignitur; sunt, qui libenter annuunt, quandoquidem ajunt, patriæ splendor animum addit, & stimulos, magna facinora patrandi. Fuit ejusdem sententiæ Nathanael, qui, ubi mira, quæ de Salvatore nostro narrabantur, quem humili sciebat patriâ natum, audiret, admirabundus, qui potest, inquit, ille tanta, quem pagus vix nominatus edidit? Hæc quidem nonnulli sentiunt. Contrà, non desunt, qui putent, laude dignius esse, dum quis incognitum, & abjectæ fortunæ locum; heroinis suis facinoribus illustrat; quàm ut laudem, famam, & honorem à laribus nativis emendicet.

4. Hæc utut se habeant, neutri parti fides denegatur, nostra verò non multùm refert, siquidem causa S. Antonii sensum utrumque superat, uti patet utrobique luculenter. Civitas enim Líspbona, licet illi patria, & celeberrima quidem esset, non tamen illis fortunæ bonis Sanctum hunc nostrum ea potuit cumulare, quin ipsem̄ illam ortu suo plurimum

(a) Aetas, & Excellentia Urbis Líspbonæ.

rimùm extulerit, & magni nominis gloriâ condecorârit. Est hæc dubio procul prærogativa specialis, major utrâque præcedentium: etenim à nativi soli decoribus commendari, res est, quæ sine personæ meritis promanat; hæc verò decora humili, vel ignotæ patriæ conferre, licet permagni faciendum sit; attamen tam esse magnum, ut altiori præcellentiae gradus addat altitudinis intensiores, proprium hoc est attributum, quod nostro competit S. Antonio, qui felicibus suis natalitiis Urbem Lisabonam, tot excellentiarum, & dominatum Matrem amplificavit.

5. (b) Igitur in lucem editus est nobilis Infans Antonius, Anno Dominico supra millesimum centesimum, quinto & nonagesimo, cùm Coelestinus, hujus Nominis Tertius Ecclesiæ clavum Romæ teneret, & Sancius, quem primum Nomini dixerant, in Lusitania secundus Rex, decimum jam annum post excessum primi Regis Alphonsi Henriquez, & anno quadragesimo recuperatæ Lisabonæ, rerum apud Lusitanos potiretur. Progenitores Antonii fuerant Martinus Bulgioni, & Donna Therefia Tavera, notæ Nobilitatis uterque. Bulgioni namque, quemadmodū hujus Regni meminerunt accurati Genealogi, trahunt originem à præcipuis Nobilibus, qui strenuam navarunt operam Alphonso Regi, dum expugnaret fæpè dictam Civitatem. Traverarum verò genus deducunt Scriptores ab Austriæ Rege Fruela, qui Parens erat Alphonsi Casti; alii per Rodericum Trojas, & ab ejus Conju-
ge Donna Muma deducunt, æquali prorsus, & Regia radice, cùm utrinque à Rege Fruela descendatur. Visuntur in hanc diem Insignia Bulgionum in Æde sacra Divi Antonii, quæ antiquitùs patria domus, sive Palatum fuerat. Rex Jo-
annes II. Virtutum Señtator eximus, accurata solicitudine mandavit, ut in illius Fani constructione hoc Stemma Gen-

tilitium variis in locis figeretur , ad gloriosam ingenuitatis , quā noster Antonius fulsit memoriam.

6. Jactis his fundamentis Nobilissimæ Progeniei Sancti nostri , ad ejus Natales redeamus necesse est. Natus est Antonius in ædibus ipsis , quæ modò celeberrimum , & ejus Nonni confecratum Templum visuntur , constitutum e regione Cathedralis Ædis , in cuius Baptisterio , quod in hanc diem asservatur , singulari reverentiâ , sacro regenerationis lavacro tinctus , & Ferdinandi nomine fuit insignitus. Janua , per quam ad Baptismum , velut communī domū exitu , portabatur , tantum honoratur , ut plures affectu devotionis , manibus , cultrisque farmenta decerpserint , pro facris Reliquiis ea veneraturi , certum ægritudinum , atque dolorum suorum sublevamen ; quando verò frequenti decisione valva sensim atterebatur , ad hoc incommodum amoliendum , aliam illi januam præfixerunt , quæ , piè vim hanc illatam , prudenter arceret. Manet hæc , honoris debiti gratiâ , semper occlusa , nec , nisi solenni Festo D. Antonii referatur Postquam Sanctus hic annos infantiles exegit , suorum studiorum fundamenta posuit , linguamque Latinam addidicit in prænominato Fano Cathedrali , quod etiam pro schola quadrabat illi primò , virtutes exercendi , ad quas illum & propria , cœlestibus præventa donis indoles , & solers Parentum educatio plurimum inclinabant.

7. Modestissimi simul , & amabilissimi Juvenis mores ardua quæquæ futuris temporibus promittebant : etenim accurata cum sui collectione divinis officiis astabat , quibus , totus amore Gloriosæ Deiparæ Virginis (illius Ædis Patronæ) succensus inserviebat , quam ibidem à puerō pro sua Protectrice sibi pius elegit .

C A P U T II.

S. Antonius induit Habitum Canonicorum Regularium.

I. **E**xpleto vix dum ætatis anno quinto decimóque , simul aucto pleniū usu rationis , mundo valere jusso Canonicorum S. Augustini complectitur Institutum , in Cœnobio , quod S. Vincentii dicitur , extra moenia Lisbonæ Civitatis , ab Alphonso Henriquezio , Urbis durante obsidio construtum . Causa fundationis erat hujus , ut nimirum de loco sacro provideretur , ubi Christiani milites , Urbis illius obfessores , in conflictu , vel assaultibus contra Mauros , occisi sepeliri possent . Cutam illius Fani Rex Præsbyteris demandaverat , quos vocant Sæculares , advenis (dietim nominando quis inter illos Sacra perageret) quandoquidem per id temporis , ob graves belli tumultus patriorum Sacerdotum perpauci reperiebantur . Primus qui Sacris operam in hac Æde dedit , Ruardus erat , Anglus natione , quem Gualterus Belga , Præmonstratensium Ordinem professus , adjutabat , cum aliquot Eremitis D. Augustini , circum Lisbonam appulsis , quia Magnates tunc , & Equites ex variis locis , in suorum Regum subisdium contra Mauros in Hispania congregati , secum ex patriis terris homines Religiosos adducabant , qui militibus , exigente necessitate , Sacramenta subministraient . Quorum è numero fuere , de quibus mox agemus .

2. Rex ubi Gualteri vitam exemplarem intellexit , Dominus illius , vel Monasterii Præsulem eundem constituit , fuitque primus , cui suppetebant abundè media , commodè se , collegásque suos alendi ; verùm non multùm ibi temporis commoratus est ; cum enim locum illum Ordinis sui Juribus , & Regulæ , contra Regis voluntatem , sibimet Jus , ut vocant Patronatus , vel Advocatiæ præservantis , incorporate ,

atque subjicere nequicquam conaretur, in Germaniam suam postliminiò reversus est. Nec Eremitæ socii diutiùs ibi manferunt, sed exiguum tugurijolum in pede montis, Divi Genesii dicti, incolendo, pauculos annos post, montem ipsum conscenderunt, ubi Beatissimæ Virginis, del Monte, præsentem in diem Eremus visitur, qui ter mutatâ statione tandem illum sibi locum designarunt, in quo nunc Cœnobium S. Augustini constructum est, cuius ipsi primam originem fundaverunt, quod subsequente tempore Joannes III. Rex ædificiis insignibus tantum ampliavit, adornavítque, ut inter præcipua Lisabonæ Monasteria celebretur, ad Beatam Virginem Gratiarum vulgò nominatum.

3. Regredimur ad Sancti Vincentii Claustrum, cui Rex alium Gualteri locò præfecit, Ordinis Canonicorum Regularium Alumnum, ex Germaniis asscitum, qui brevi post nuncio Præposituræ missō, patriam repetiit. Huic ex Regis ejusdem denominatione Gudinus suffectus est, itidem Canonicus Regularis, assumptus ex Cœnobia, del Bagno, paucisque post annis ad Episcopatus Lamegensis dignitatem sublevatus. Hunc Mendus subsequitur, cai vitâ functo, Pelagius (Sancio I. Lusitanis Jura dante) successit, cuius, vel immediate substituti Præfulis tempore Dominicæ Incarnationis anno 1210. Antonius Habitum illum, & Ordinem assumpsit. Dissident Scriptores, uter illorum vestem ei sacram contulerit, nec nomen successoris Pelagii reperitur, certum tamen id est, Congregationem illam tunc reformatam, magna vitæ, morumque sanctimonij floruisse, desumptis isthinc Episcopis, & Archiepiscopis, aliisque magni nominis præstantibus Viris fæcundam, ad quam Antonius velut palæstram virtutum, quarum ardenti studio tenebatur, confugit.

4. (a) Magna cum animi sui voluptate solennia, quæ vocant, Vota post annum Probationis Antonius profitetur (mi-

ran-

Professionem emittit S. Antonius.

rantibus Collegis, Juvenis sedecennis tam rigidam observantiam, & fundendis precibus assiduitatem) biennio duntaxat ibidem commoratus; cum enim à notis, & familiaribus frequentius inviseretur (quod ipsum nobilitatis ejus, & clarissimæ Familiae potest indicium esse) quo tempus ipsi, & occasionem utiliora tractandi, suffurabantur, licentiam impetrat à Præposito, pro mentis tranquilitate conservanda, Coimbricam ad S. Crucem commigrandi, Cœnobium id est apprimè splendidum, liberaliter ab Alfonso Henriquezio dotatum. Fundavit primus hoc Monasterium Telo Coimbricensis, & Summæ Ædis Archidiaconus, qui se cum duodecim asseclis huc, relicto, spretoque Mundo, contulit, quam rem tanti Rex fecit, ut locum amplissimis ædificiis, & magnis proventibus auctum, Regiæ sepulturæ destinârit, unde non immerito titulus ei Fundatoris celeberrimi debetur. Huc, inquam, Antonius transmigravit, integris novem annis ad contemplationis, litterarum sacrarum, & virtutum studium ibidem solerter incumbendo.

5. Octavo, postquam professus est, anno, sacri Presbyteratus Ordine fuit initiatus, (b) cum ob causas, paulò superius enumeratas videretur jam anno 1219. Sacerdotem egisse. Ponamus, Coimbricæ ad S. Crucem illi collatum sacrum Ordinem Sacerdotii, quod ipsum, nedum veteriores Authors probant, qui calatum gestis ejus applicârunt, verum & veritati valde congruum est, Antonium, qui non plus undecim annis in Ordine consumpsisset, nunquam non pro viro, doctrinâ, nobilitate, præcipuisque virtutibus conspicuo habitum, eodem in Collegio Sacerdotem consecratum esse. (c) Uvadingus in suis annalibus contrarium opinatur, cum an-

num

(b) *Antonius fit Sacerdos.*(c) *Vide l. I. Hist. Ser. Rel. c. 78. Petri Rod. ubi habentur hæc verba: requisitus fuit à Fr. Gratiano, ut celebraret Mission Fratribus, qui erant apud Eremum S. Pauli.*

num hunc attingit, aitque, paulò postquam S. Francisci Minoribus se conjunxisset, Sacerdotibus annumeratum esse, testimonio nixus Leandri Alberti, qui dicit S. Antonium in Æde Beatissimæ Virginis Annuciatae, Minoribus Fratribus assignata, Bononiæ Sacris primitus operatum. Quam sententiam eludit id, quod Antonius Ordine, habituque mutato, tetenderit in Africam, inde regressus in Siciliam, postmodum Assisium ad Generalia Comitia profectus sit, de quo pluribus deinceps, quodque remotissimus à sua patria, cunctis incognitus, nemini litteraturæ, vel Sacerdotalis dignitatis minimam suspicionem ingesserit, præterquam, quod suimet ipsius despiciendi gratiâ, modestissimus prærogativam Sacerdotii, doctrinæque splendorem ipsem pro viribus absconderit, ab ipsis Fratribus illiteratus, & coadjutor communiter putatus. Et quandoquidem omnium opinione talis apparebat, nemo Prælatorum, qui Comitiis intererant, iis absolutis, illius curam habere, vel secum illum abducere cogitabat. Unde multo tempore, velut exiguae frugis delituit, donec oblata commodum occasione, quando Deus occultum hactenus lumen hoc revelabat, illius thesauro scientiarum instructissimus intellectus insperato se proderet, cumque propterea moneretur, ut Presbyteratus charactere se curaret insigniri, fateri coactus est, pridem se Sacerdotio perfundum. Proinde verissimum appetet, quod Leandrus adducit, illum in supradicta Domo Beatissimæ, Virgineæque Matris in Italia Sacrum primitus obtulisse, quod vere primum erat, in cucullo S. Francisci litatum, cum tamen prius ut Canonicus Regularis pluries ad S. Crucem Coimbricæ sacrificasset, quo denuò revertimur, orsam ejus gestorum telam prosecuturi.

C A P U T III.

S. Antonius Religionem Franciscanam amplectitur.

I. Cœnobium præmemoratum eleemosynæ gratiâ frequentabant Franciscani, recens in Lusitaniam admissi, nec multum inde dissiti, perexiguum in Urbis agro domicilium incolentes. (a) Inde captabat ansam Antonius, familiarem cum illis notitiam contrahendi, tractandive de rebus, & exercitiis animum concernentibus, siquidem illorum submissâ modestiâ, nec non caducarum rerum contemptu, quem palam præseferebant, singulariter afficiebatur, unde cum his, aliquique dicti Ordinis illuc adventantibus arctiore inibat consuetudinem. Una virtus ad instar magnetis aliam trahit, creverantque jam virtutes Antonii tantam in altitudinem, ut singularem DEI donorum particeps, multoties supernis revelationibus tum perfrueretur: cùm etenim Fratrum Minorum quodam, Vir inculpatæ, probatæque vitæ, nec non Divo nostro Antonio familiariter notus, diem suum obiisset, placuit Divinæ bonitati, dum Antonius pro salute forsan illius defuncti Sacra Mysteria tractaret, eidem gloriam, quâ Cœlum ejus anima conscenderet, videndam exhibere. Quam historiam Marianus, & Pelegrinus in testimonium adducunt, jam tunc Antonio collati Presbyteratus, cùm inter Canonicos Regulares adhuc versaretur. Disponebat jam DEUS, hac mediante cum S. Francisci Fratribus consuetudine, paulatim gratiam, & merita, quibus illos processu temporis tanti luminis accessu collustrare vellet.

2 (b) Eodem ipso tempore sacri cineres Beatorum quinque Martyrum Ordinis Seraphici, latam per Europam tum florentis, ad hoc Cœnobium, ceu portum appellebant, Ma-

B

rocci

(a) Sicco Polentonius in vita S. Antonii cit. à Rudolpbio-

(b) Translatio Reliquiarum SS. 5. Martyrum Morocco in Lusitaniam.

rocci pro Christi fide mortem oppetentium, quos Petrus, forte cum Alfonso Rege fratre dissidens, eaque propter absens Lusitaniam, Miramolini sectatus aulam, inde redux in Hispaniam secum asportaverat, in Galiciæ portum expositus, Astorgo Civitate, sacra pignora Coimbricam præmisit, ubi condigno, tantis hospitibus, honore sunt excepta. Multi tunc, ut assolet, sermones miscebantur de suppliciorum varietate, constantiâque gloriofissimorum Martyrum, quos omnes Antonius imis hauit auribus, magno mentis ardore concepto, proximè vestigiis illorum insistendi. Quem ut ad maturitatem educeret, executionique protinus mandaret, unica patebat via, mutandi scilicet veteris Instituti, cum novo Minorum Ordine; communicat proinde dictis Fratribus, e loci memoratam ob causam frequentius accendentibus consilium suum, simûlque cum illis, magnâ propter hoc voluptate perfusis, de negotio prudenter confert, hac sibi conditio ne præservatâ, quamprimum Ordinem eorum assumpsisset, ut sibi liceret in Africam trajicere, fidem Orthodoxam ibi deprædicatum, ejus gratiâ sanguinem, & vitam profusuro. Quamobrem non tantum hoc est adeptus, verum & à suo Præposito dimissionem impetrat, status pristini permutandi, sepositaque melote Canonicorum, eadē in Fremo, quam Fratres Urbe Coimbrica non procul inhabitabant S. Francisci tunica induitur, ubi præsenti die cellulam ejus, instruētam arenâ, visendam exhibit, Sacrificiis consecratam. Et quia sœpè dictum Cœnobium Magno Antonio Ægyptio dicatum erat, unde & nomen desumpsit, hinc Novitus noster, primo Ferdinandi nomine reliquo, Magni Præfulis Antonii nomen, honoris, & memoriæ gratiâ, sibi coneedi, submissè rogavit. Addit Divus Antonius Archiepiscopus Florentinus, & hanc novati nominis causam, ut suos videlicet necessarios, qui Ferdinandum curiosius indagarent, molestarentque sub alieni nominis schemate quietius lateret. Piam

frau-

fraudem ! quæ plurimis , ipsi non absimilibus , ad finem si-
milem inserviebat, quibus contemptus propriæ personæ mul-
tum arridebat. Porrò non perfuntoriè notandum est, à Deo
tanti nostrum Antonium pensatum esse , ut cùm illum è
choro Canonicorum D. Augustini transferre vellet in Sancti
Francisci novam coloniam , operæ pretium divina bonitas
duxerit , quinque triumphantium Athletarum ossibus (insi-
gni compendio) jacluram illam Confessoris militantis com-
pensare ; quod tamen leniendo dolori Religiosorum S. Cru-
cis haud sufficiebat : cùm etenim discessum Antonius appa-
raret, valéque diceret , unus illorum sensu penitiori motus:
perge , inquit, forsan brevi sanctus futurus , quæ verba du-
bio procul , latentis intrinsecùs doloris indicia non obscura
fuerunt , ab illo prolata , quem abitus Antonii dolorosius pro-
scindebat ; quibus tamen Antonius modestè retulit : utique
Deo laudes illum debitas tunc persoluturum , cùm sanctita-
tem suam inaudiret.

3. Non hic modus positus est acerbo dolori, quem dein-
ceps illi pluries exeruerunt, ut palam ostenderent, quām acri-
ter sentirent, pellucidum illud sidus à Minoribus Fratribus
sibi subtractum esse , quos multis vicibus posthac adeò per-
sequebantur , ut hoc intellecto Gregorius Nonus , Priorem
S. Crucis scriptotenus deterruerit severè , pœnis gravibus in-
tentatis , quas , ut emendatione non secuta , velocius infli-
geret , Episcopis Viseno , & Lameensi , nec non Præsuli
Guimaraensi dedit in mandatis , ut in Præpositum S. Cri-
cicis , reliquosque Canonicos , censurarum , aliarumque poe-
narum Ecclesiasticarum fulminibus detonarent , nī Fratrum
Minorum incommodis inferendis abstinerent. Expeditum
est scriptum istud Pontificium 12. Junii , septimo Pontifica-
tūs , trigesimo verò tertio supra millesimum & ducentesimum
Dominicæ Incarnationis anno. Sed enim admittunt sanè
dolores , & errores commissi meritam excusationem , atque

dum horum causam aspicimus , errorum suspicione liberari posse , non absonum videtur , quandoquidem illi Religiosi doluerunt , se privatos amabilissima conversatione D. Antonii , proflus irreparabili danno , quod tanto gravius illos lacinabat , quanto frequentius per varios miraculorum ejus rumores , & tandem etiam subsecutæ Canonizationis , in memoriam illis (vulnere recrudescente) veniebat inæstimabilis illius thesauri , sibi è manibus erepti jactura.

4. Mittamus tantisper Antonium recenti cum nomine , habituque , cuius utraque mutatio mysterio certè non vacat : quod enim Nomen ejus concernit , ab Eremicola , vitæ sanctitate clarissimo translatum , designat hoc , illum obligasse se , significatum Nominis pro viribus imitari , quo modo veteres Romani similia Nomina propter Cæsarum quotundam excellentiam , qui talibus insigniti fuerant , tantum reverebantur , ut Alexander Severus ad Imperatorii Regiminis culmen evectus , diu , multumque rogatus à suis , Nomen istud ut asfumeret , constanter abnuerit , suam impotentiam causatus , istud explendi , cuius illo Nominе commoneretur. Vestem autem , & Institutum ideo mutavit , ut secundum quorundam fide dignorum , & magnæ dignitatis Authorum judicium , Sancti Francisci vestigiis inhæreret , qui priusquam sui Ordinis , Regulæque fundamenta jaceret , præcepta D. Augustini coluerit , quod variis testimoniis , & Panegyrico , ab ipso Divo Antonio , in Seraphicum Patrem declamato probare conniuntur , lubrica tamen soliditate. Nostri non est Instituti decidere , quod magni Scriptores inter se disputant , ad quos proinde rem hanc rejicimus , tametsi nihil absurdum promanaret , licet ostenderetur , Seraphicum Patrem S. Franciscum tanti , tamque præclari luminis Ecclesiæ Catholicæ discipulum fuisse , cuius auspiciis Patriarcha Sanctus Dominicus , & S. noster Antonius non minus militassent. Hac obligatione , quâ semetipsum in novæ vestis assumptione , vigore præ-

præconcepti propositi , devinxit , ut te exolueret , ardenterfimo desiderio Martyrū , Maroccum profectionem instituit , ut ibidem voti sui damnaretur , & Machumetanis veræ fidei persuasione inculcaret ; ast tamen spe sua citò frustratus est , infirmitate gravissima , vel ut verius , divinā sic disponente providentia præpeditus , Antonium non solùm propriæ sanctitati , sed aliorum etiam saluti præservante , siquidem navis , quam in Africam direxerat , dum Lusitaniam repeteret , (c) abrepta fluctibus , & turbine , ad Siciliæ littus eum ejecit , ubi coactus exscendit .

5. Quo tempore permanxit in Insula , Taurominiense Claustrum Seraphici Ordinis incoluit , occupatus opera servi- li , domūs emundatione , nec non hortuli culturâ , in quo , Cardinalis Gonzagæ testimonio , visuntur adhuc viridantes cyparissi , medicæque , quas D. Antonius manibus propriis plantavit , unde multi devotionis gratia decerptos fructus , efficax suis infirmitatibus medicamentum asservant . (d) Eodem penè tempore S. Franciscus Assisi Comitia Generalia concivit , quibus & Antonius aderat , & quia nemini notus , etiam continuis jejuniis , & morbo paulò antè propulso , supra modum extenuatus , & despectus apparebat , nullus Fratrum Ordinis illi singulariter attendit , idcirco dimissis Comitiis , quilibet Superiorum , assumptis secum iis , quos commodissimos Monasterio suo judicaverat , ad propria remeavit relichto solùm Antonio , velut indocto , morbido , atque inutili homuncione , qui tamen eximia dona , quibus à DEO cumulatus erat , tegmine modestiæ , & submissionis insigniter abscondebat .

6. Antonius , ubi se solùm , & omnium benevolentia destitutum vidit , Fratri Gratiano , viro notæ probitatis , & virtutis adjunxit se , cui tunc Æmiliae Provincia commissa

(c) Antonius in Siciliam rejicitur .

(d) Antonius interest Generali Capitulo Assisi celebrando .

fuit, eum submissè rogat, ne suam præsentiam, & societatem aspernetut, velítque locum sibi solitarium assignare, quo posset contemplationi, mentisque secessui quietius vacare. Annuit benignè Minister Antonio, conceditque non procul à Coenobio dissitam Eremum, S. Pauli nuncupatam, ubi suavi meditatione, precibus ardentibus, voluntaria, eaque severa corporis castigatione, jejuniis, & vigiliis aliquantum temporis terebat, dum interim animus cœlestibus donis intus augeretur. Subjecta monti specus subterranea, contemplationi, precibúsque percommoda, vicem ei conclavis exhibuit, ubi profundissima posuit fundamenta, quibus exelsam virtutum altissimarum fabricam superinstrueret, quæ toti Mundo postea miraculo fuerunt. Toto verò transacto tempore, sicut præmisimus, omnibus incultus, agrestis, & rudis habebatur, cùmque sæpiuscule vocatus à suo Superiore, promptus ex Eremo sua compareret, nil tum aliud Antonius, nisi domum verrere, vasa abluere, culinam curare.

C A P U T IV.

S. Antonius scientiam suam pandit, & in Ordine Seraphico primus Lector instituitur.

I. Nterea dum Eremo fruitur Antonius, contigit, ut Fratres aliquos Forumlivium conduceret, Sacris Ordinibus initiandos, ubi litterati quidam Viri tam hujus, quam aliarum Religionum conveniebant, ipse verò non eò se consultulit, Ordines acceptum, quippe Sacro Sacerdotii charactere pridem, ut præfertur, ante, licet incognito condecoratus, nomine vel minimum hujusmodi subodorante. Cùmque ficer Antistes, priusquam Ordinum collationem ordiretur, moneret ordinandos, unus illorum ut verba faceret, omnibus sc, velut ad hoc imparatis, excusantibus, ad Antonium, quem

quem omnes ineptum judicarunt, convertitur, vel instinctu divino, vel subiratus tergiversationi reliquorum, ut ille, qui nil aliud omnium expectationi promitteret, nisi verba rudia, concionaretur, licet illo solùm fine juberet hoc, ut illius simplici sermone præsentes reliquos distineret, vel ab eo confundentur. Infit Sanctus noster Antonius, humilitate consueta sibi, non hoc fuisse, nec esse sui muneris, ut è suggestu loqueretur, sed foco ministraret; quo non attento, Præfus instat actiùs, ut sermonem qualemcunque proferret. Antonius non ulterius obnitudinem ratus, præparatum ad id locum condescendit, ad initium submissè valde, progressu verò sermonis, divino Spiritu succensus, admirabili sententiarum copiâ sensum continuat, tantaque scientiæ profunditate sacras Litteras explanat, ut ii, qui primò forsitan illius reddendi causâ stabant auscultaturi, postmodum admiratione raperentur. Nec est vero dissimile, quando propositum erat Presbyteros creandi, Sanctum hunc nostrum, quam ipsem et hactenus in seipso oculuerat, Sacerdotalem dignitatem dignis laudibus extulisse.

2. Quod ut primum ad aures Seraphici Patris Francisci fama pertulit, præclarum fidus hoc suæ novellæ Religioni suboriri, singulari lætitia perfunditur; necessum verò duxit esse, tametsi profundè litteris Antonius esset instructus, longo tamen tempore nonnihil à studiis remisisset, ut nimirum cursum illorum resumeret. Jubetur proin ire Vercellas, Ambrosiisque Præfuli nomen dare, doctrinam ejus excipere, vel ea, quæ jam alias hauserat, denuò secum memoriam repetere. Abbas hic Ambrosius Italiâ totâ, quâ doctrinâ, quâ vitâ sanctitate celeberrimus deprædicabatur: siquidem undeque multi Vercellas confluebant, ut Viri doctrinam audirent, discerentque, licet, per id temporis Mediolani Gymnasia litteraria florentent. Exorta propterea lis est, inter Alumnos S. Benedicti, Canonicosque Regulares, dum alterutri suum ei-

esse Collegam Ordinis contendunt. Dignissimum sanè contentionis hujus bravium est, tantæ Vir præcellentie, & æstimationis, cuius & Antonius noster, non quidem longâ morâ, discipulus erat. Notavit Abbas tantillo spatio temporis, tam sublimem in Antonio sapientiam, tantóque lumine collustratum ejus intellectum, ut non ceu discipulum fovere, sed ad instar Doctoris illum cœperit revereri. Eodem penè tempore prænominatus Abbas conflavit in S. Donylli, quem ab Areopago nominant, admirabiles libros commentarium, eadémque methodo, quam hodie præ manibus habemus, ex Græcis litteris, latinitate donavit. Quo libro, pro Sancto nostro prægnantibus verbis astruit, quod de illo memoratur: siquidem illius occasione, quod tertio sui commentarii capite scriperat, fusiùs diducit, Dei dilectionem homini plus conducere, quām omnes scientias naturales, plurisque referre, Sanctissimam Trinitatem ut quis amet, quām ut subtili ratione Mysterii tanti rimari curiosius profundum noscat. Quod ipsum exemplo clarissimorum Præfulum, & Virorum Amplissimorum communit, quos magis amore Numinis, & indefessa prece docet ad summum apicem Theologiæ, quam intenso studiorum conatu concendisse, quemadmodum, ait, ipsemet in Antonii Lisabonensis, de Minorum Fratrum Ordoine, familiarissima conversatione sum expertus, qui tametsi nemini scientiis instructus appareret, nihilominus ardentissimis, purissimisque mentis affectibus, & desideriis mysticam Theologiam intelligendi, tantùm adeptus est, ut ei non incongruè possit accommodari, quod Christus Dominus effatus est de Baptista suo Joanne, ardenter scilicet illum lucernam esse, quæ mundum illuminet; sic Antonius noster intrinsecus amore Numinis æstuabat, & foris divinitus collata sibi scientiâ populos mirabiliter illustrabat.

3. Tale scriptotenus Antonio nostro testimonium reliquit Sanctus hic Abbas, post intimam cum illo conciliatam fa-

familiaritatem, quod unicum sufficere posset, opinioni confirmandæ, prodigosæ sanctitatis Antonii, quam Ambrosius, illi familiariter notus, quoad vixit, semel conceptam continuavit, quem etiam Antonius non solum dum in vivis ageret, si contigisset in Italiam quandoque redire, verum etiam post è vivis excessum, visitavit, illum gloriosi sui statûs certiore redditurus, ut infrà pluribus ostendetur. Cumque Fratres Divi Francisci per Ambrosium intellexissent, sufficienter illum iis, quæ desiderabant, imbutum esse, mox eundem, ut aliis prælegeret, instanter urserunt, quod ille recusavit, omnium licet calculis ad id muneris aptissimus pronunciatus, ipse tamen solitâ sibi modestiâ se prorsus ineptum judicavit. Seraphicus Pater, cognito Fratrum ardentî desiderio, perpensisque talentis, & donis Antonio tributis, epistolam subjiciendi mox sensûs ad illum exaravit.

5. (a) *Charissimo Fratri Antonio, Frater Franciscus salutem. Placet mihi, ut Fratribus sacras Theologie litteras interpres, ita tamen, ut nec in te, nec in ceteris (quod vehementer cupio) extinguitur sanctæ orationis spiritus, iuxta Regulam, quam profitemur.*

5. Accepto primùm hoc mandato, sine quo, deterrente nimirùm illam humilitate sincerâ, Professoris munus nunquam subiisset, quantocytus obsecutus est, adeoque primus in Religione Lector fuit, variis locis per Italiam, & Franciam Theologiam professus, sacrásque litteras interpretatus, super cuius doctrina præcipui quique Viri, qui floruerunt unquam in Ordine Seraphico, nuncque vigent, sapientiam suam fundârunt, cuius eapropter incrementi gloria merito debetur Antonio, velut incomparabili splendori Franciscani stemmatis, & ornamento. Fulsit hic Ordo quatuor Summis Pontificibus, Purpuratis Patribus multis, Archiepiscopis & Episcopis penè sine numero; Lusitanus autem Antonius inter tot sidera

C

pel-

(a) Petrus Rod. l. 1 f. 78.

539930



pellucida , primus ut eluceret , gloriōsis suis facinoribus adeptus est : siquidem (quod non immeritò mireris) prodigiosè jam tunc Sanctus , doctrinā primus Magister , Lector validissimus , in suggestu Paulus red vivus , in litterali , mysticōque sensu divinarum litterarum explanando tam illuminatus Concionator est habitus , ut aliquando Gregorius Nonus , dum perorantem illum audiret , hujus ardore , doctrināque raptus in admirationem , Arcam eum esse Testamenti , palam testaretur . Sicut eodem jure titulus ei competit , primi Reformatoris Ordinis , diebus Fratris Eliæ , jam deficientis , de quo pluribus inferiūs . Tantumque Sanctus hic ordini Divi Francisci præstítit , ut non mediocris aliquis Author , alterum illum Fundatorem Ordinis appellārit .

C A P U T V.

Sanctus Antonius concionatur , & fit Author publicæ Flagellationis.

I. PERFUNGITUR Antonius interim strenue Doctoris officio , simûlque Concionatoris (sicut habebat in mandatis) tanta cum unius laude , jubiloque , quanto cum alterius fructu . Non minori constantia sceleribus animosè restitit , potissimum ubi magis hoc exigeret obstinacia , cum stupore famosorum Concionatorum , demirantium in simplici Fratre tantum cordati pectoris robur , interim imbecillitatis illi propriae sibi consciī , quā perditos mores , quorum etiam personae Principes Authores forent , tam liberè perstringere , corriperēque non auderent . Serius erat cùm corrigeret , cùm admoneret amabilis , flumen gratosum eloquentiæ fuit admirable , semper pro necessitatis exigentia , & auditorum captiu tam opportunum , ut ad instar sagittæ verba cor cuiusvis transfigerent , contra teneræ fuerent auditorum lachrymæ , singultus expressi corditus audirentur , odium , & abdicatio fla-

flagitiorum suboriretur. Præterea solum peccata vertunt in Provinciis, in quibus Antonius divini verbi semina jacit, evanescunt similitates, dissidia componuntur, usura procribitur, abigitur Venus, in vicem horam virtutes magno cum ædificationis fructu plantantur, & hæc omnia, saluberrimo sacrarum ejus Concionum interventu.

2. Æquabant ejus vitæ probitas, & irremissus castigandi corporis rigor, abundantiam doctrinæ, criminibus aliorum profligandis, multumque vitam ejus quasi divinam confirmabant miracula, quibus DEUS Antonio maximam apud mortales fidem, & affectum conciliaret. Propterea Sanctus Franciscus eum, ut propiorem sui Zeli, vestigiorumque sestatorem amore teneriore prosequebatur, Episcopum suum vocitando, quippe cui pene soli tot animarum salus incumberet, evenitque semel, ut Seraphicus Pater, corpore miliaribus aliquot absens, divina virtute præsens esset, auribus Antonii concionem excepturus.

3. Tantus erat auditorum ejus concursus, (b) ut illius audienti desiderio clauderentur officinæ, tabernaculaque, tiseret forum, & tribunalia, loca detolarentur habitatoribus, ut supra triginta millia numerus confluentium ex cresceret, quodque miraculo plenissimum est, ut homines variarum nationum, & idiomatum aliquando præsentes, Antonium quilibet vernacula sua percipere posset, quo donum est singulassimum, à Sancto Spiritu, quondam ignitis linguis apparente, Domini discipulis communicatum.

4. (c) Non capiebant accusentis populi multitudinem templum, quantumvis ampla, quapropter, plerumque foris, in plateis spatiiosis concionabatur: cùmque die quadam sub

C 2

dio

(b) Antonius celeberrimus Concionator.

(c) Dum prædicat Biturice Galliae Urbe, sub dio, populus ab aeris injuria mirè defenditur. Tossin. sub cit.

dio peroraret, in medio sermonis, tempestas procellâ, toni-
tri, fulguréque gravis oboritur, unde populus sub tecta di-
labi. Monet autem Antonius, ut constanter persistant, se-
curos reddit divinæ bonitatis, pluviarum ab injuriis illos
protecturæ: dictum, factum! quamvis enim integri torren-
tes desuper circum totam concionem effunderentur, ne gut-
tula quidem quemquam ex illis madefecit.

5. Cogitabat quandoque quædam fœmina locum adire,
sua domo millari distantem, ubi Concionem habiturus erat
Antonius, quam verò maritus, vel æger corpore, vel alias
non superfluæ versùs Deum pietatis, & indolis indomitæ,
prohibuit. Contristata non immeritò pia mulier, lenien-
di nonnihil doloris gratia, lithostrotum conscendit, regio-
nem, ubi concio fit, prospectat, ecce prodigium! tanta di-
stinctione vocem articulatam Antonii percipit, ac si proximè
pedibus ejus assideret, territa maritum advocat, ut iisdem,
quibus ipsa gaudiis frueretur; ridet ad initium conjunx ea,
ceu deliria fœmina; frequenti tamen uxoris invitatione per-
ursus, consensâ similiter domo superiore, propriis excipit
autibus rem prodigiosam, mutatus per hoc in alium virum
devotiorem, vitam, & mores perditos emendat.

6. Hæc, aliisque sunt visibilia miracula, quæ cum invi-
sibilibus, animas peccatorum convertendo, sine numero San-
ctus perpetravit. Accidit aliquando, congeriem aliquam ne-
bulonum, duorum circiter & viginti numero, locis circumja-
centibus latrocínio, raptu, reliquisque maleficiis admodum
molestam, curiositate magis, quam devotione permotos An-
tonii adstare concioni, cum subitò corda, mentesque latro-
num verbis ejus ita percelluntur, ut animitus compundi tem-
plum egredenterentur, pauxillūm ante latrones prævecordes de-
lubrum ingressi; pedibus advolvuntur Antonii, noxis illo-
rum gravissimis auscultandis aures ut præbeat, rogan, illius
in aures se conscientiam suam effusuros, cui proinde cum
lachry-

lachrymarum profluvio sua scelera deponunt, à sancto Viro, libenter multâ monitisque salutaribus receptis, mediantibus quibus mutare vitam in melius, quâm aliorum rapinis vivere didicerunt. Eapropter in cœlis Angelicos spiritus lætari, dum ad mentem redit peccator, æterna Veritas testatur, quæ tamen ideo non fecit mentionem gaudii, quod hominem illum in æternitate manet, qui resipiscientiæ peccatoris causa fuit, ut omnino nulli dubium illud, sed veluti certissimum eile debeat, vel ineffabiliter tam magnum gaudium illi refervari, quod longè captum nostrum excedat. Unde non tantum Antonio gaudium illud jure competit, quin ipsimet Angeli quasi debito devinciuntur, illum suæ lætitiaæ reddere participem, quam ille, tot à peccatis concione sua converforum innumerabilium accessu, prorsus in immensum augmentavit.

7. Tantæ fuerunt efficaciæ conciones ejus, quas fecit Paduæ (d) meras ut in lachrymas homines colliquefcentes, acerbissimis operibus poenitentiæ se se, contritis dolore corribus affligaret, publicè per plateas, elatis ad misericordem Deum clamoribus, dirè se se flagellis proscindendo, suorum criminum veniam implorarent. Unde mos ille provenit, in sacra Parasceves Hebdomade se flagellandi, cujus Antonius noster primus author extitit, Paduæ primum introducti, postmodum in alias Italiæ Provincias, & brevi post per totam Ecclesiam occidentalem transplantati, quemadmodum quotannis per sacros illos dies, hujusmodi publicas exercitationes plures experimur.

8. Soliti sunt veteres, iis, qui communi vitæ, vel corporis utilitati, voluntatique quipiam adinvenerunt, singulares honores, & gratias redhibere, qua propter eo liberalis remunerationis modo progressi sunt, ut illos inter Deos numerarent, unde falsorum Deorum cultus abominabilis pullula-

vit. Enimvero tibi, Sancte Antoni, præconium omne debetur, & honos, qui sceleribus profligatis, non corpori, velut illi, sed ejus parti principaliori, magisque preciosæ, scilicet animæ, speciale beneficium exhibuisti, cum homines erudites, eo potissimum tempore sua corpora poenis, flagrisque palam castigare, quo Sancta Mater Ecclesia nobis memoriam Redemptionis nostræ, per amatissimam Passionein, & Mortem Servatoris nostri proponit, & congrua iuggerit media, culpis nostris sufficienter expiantis.

9. Idcirco vero dicitur Antonius primus Inventor publicorum operum poenitentiæ, quia clancularium flagellatum usum in Ecclesia Catholica pridem ante vigit, ortum suum, & cautam inde delumentum, (e) ve ut anno Domini Incarnati millesimo quinquagesimo sexto videre eit, ut nimis poenas, quas sacri Canones certis delictis, pro cuiusvis differentia præfigebant, flagris compensarent, quandoquidem hujusmodi poenæ, vita poenitentis diutius non nunquam prolongabantur, hoc abbreviandatum illarum medium est excogitatum, ut assignati temporis diurnitas, clandestinae rigore flagellationis rependeretur, ubi flagitationes vehementius, remissiusque, juxta quod breve, longumve tempus Canones præscripsissent, luebant. Itud integratur quod olim inter domesticos parietes pro poenis resarcendis rei perpediebantur, id ipsum, ad initiantiam Antonii, sacris Parasceves diebus, cum aliorum initabili spectaculo, publicè, sponte, celebrabatur per quod plures, effuso flagellantum pro flagitiis propriis cruento, moti convertebantur. 10. (f) Zelus, quo salutis animarum, & emendationis fatagebat Antonius, tantus erat, ut quotidianarum concionum laboribus, & assidua peccatorum auscultatione non contentus, pluribus noctu, somno iopitis exhiberet se præsentem,

(e) Baron. in Ann. Anno 1056.

(f) Admiranda sedulitas animabus convertendis.

tem, scelerisque moneret unius, alteriusve, quod in exomologesi vel omisissent, vel integrè non expressissent. Multi sunt opinati, dormientem hominem carere vitam, quo seductus errore Principum aliquis, intimo suo familiari se juramento devinxit, certò fruiturum illum suam gratiam, favoréque, quoad illius vitae se dies extenderent; post verò facti poenitens, cum sacramento sese (citra tamen, uti rebatur juramenti lassionem) cogitaret exsolvere, miserum illum hominem, dum dormiret, capite plecti jussit, asserendo, tunc illum non vivisse, propter id potuisse se promissam illi gratiam, absque perjurii suspicione, subtraxisse. Et licet Philosophis, mortis palæstra somnus diceretur, quod homo dormiens, usu rationis privatus mori disceret; Antonius tamen, facto superius memorato demonstrare voluit, nec hos, nec illos rectè sensisse; illos in eo quidem, quod ipse, dum alii dormirent, actibus planè vitalibus, pluriūque saluti conductibus perfungeretur; alteros autem ibi, quod somnum esse scholam mortis dicerent; ipse verò vitæ gymnasium somnum ostenderit, quando dormientibus, qui vitam corrigerent antedictam: author fuit, quemadmodum, ut ostensum est, iisdem insomnibus doctrinas utiles, & bene-monita, beatæ vitae consequendæ vivaciter suggestit, quæ facinora sunt magnæ sanè sollicitudinis, & exempli non imitabilis, cùm tamen Omnipotens Deus, admirabili prorsus concursu multifariis illis apparitionibus adstiterit, ne quid aviditati non satiandæ, quâ mentium humanarum salutem sitiebat Antonius, unquam deesset. Cùm aliquando juvenis quidam, concione dimissa, naves apud illum suis deponendis accurisset, ad pedes ejus provolutus, ast amaritudine doloris, & lachrymarum copiâ ne verbum proferre posset, mandat Antonius illi, domum redeat, quæve verbotenus nequirit, scriptis exprimat. Obsequitur Sancti mandato juvenis, occlusâ chartulâ, perperam commissa notat, quam ut sibi traditam Antonius

nius recludit, mira DEI manu totam Scripturam lituratam, mundissimā papyro relictā, deprehendit, manifestum divinitus oblitteratarum culparum argumentum. Rara certè Sanctitas Antonii! cuius ad poplites rei læsæ Majestatis Divinæ diffluunt in torrentes lachrymarum, cuius in manibus sincerè deplorata crima disparent.

11. Festinabat aliquando pia quædam mulier, concioni Beati Patris maturiùs interesse, dūmque discessum impensiùs accelerat, infantulum imprudens aheno mersum ebulliente relinquit, quem in pelui, lymphâ tepidâ se putabat abluiisse; sed tamen redux, vicinis narrantibus, errorem suum intellexit. Hic jam illa mihi facilè, quæ mater est, dolorem hujus foeminæ conjecturabitur. Nihilo tamen secius auxilium illa Sancti Patris respectat, cuius permagnis meritis parvulum, stridente caloribus cacabò medium, reperit incolumem, laudésque DEO concinentem, pro quo debitas, & ipsa Deo gratias, Sanctóque Patri condignam reverentiam persolvit.

Petrus Rudolphius lib. 1. hist. Seraph. fol. 80. col. 1.

12. Vir quidam, cui nomen Leonardus, quandoque Sancto Patri narravit, pede se genitricem suam olim impulisse, prona mox ut corruerit. Ad quem Sanctus ore, vultuque seriùs: si tuus, inquit, pes te scandalizat, illum abscindas oportet. *Mattb. 18.* Quibus commotus Leonardus domum pergit, sibique pedem amputat. Extemplo fama facinoris divulgata, matris ad aures perfertur, accurrit illa celeriter, anxia, visoque tam malè curato pede, linguam solvit impudenter in Antonium, questibus auram implet. Accitut mox Beatus Antonius, condolet affectu teneriore, se conjicit in preces, signoque salyificæ Crucis efformato, pedem abscissum, & emortuum, tibiæ mutilatæ, manu propria præfidenter adiungit, permulcetque nonnihil. Cùm ecce! momento, præscilla planta, dum cruri conjugitur, reviviscit, exilit incolmis, qui mancus decubuerat Leonardus, Deique laudibus exultat. *Idem Auth. ibid. col. 2.*

CAPUT

CAPUT VI.

*S. Antonius spiritu Prophetia præditur, & diaboli
proposita prævidet.*

I. PRæter hæc munera gratiásque divinas, Prophetiæ quoque dono cumulatus est, modo quidem singulari, quo non futura tantum, longeque distantia prævidit, sed ea quoque, quæ sæculum alterum, extra res humanas, pertractat, potuit indicare, dono, non facile cuivis alteri Prophetarum primario concessò. Brevibus horum aliqua perstringemus, inter quæ numeratur illud, quod sub funebri concione contigit, quam ut in exequiis alicujus defuncti faceret, rogatus fuit: siquidem veteri consuetudine, conciones tales mortuis fiebant, ubi rariores quæque virtutes illorum laudibus extollebantur, eò tamen usque tandem in hoc assentatorum audaciâ progressâ, præconiis ut celebrarent virtutes, in illis, qui prorsus omni virtute destituti noscebantur, unde vel scandalum auditoribus, vel risus causabatur, dum ex cathedra personæ, propter scelera propria, vituperio digniores, alienis encomiis vestirentur. Quem abusum actu contrario Sanctus noster eliminare conatur, in hunc finem, oblatam sibi Provinciam acceptat, ut scilicet ad funus prædicti mortui concionetur, qui quidem nummis & divitiis opulentus valde, meritorum autem, & benefactorum indigus admodum, pecuniarum ad instar idoli cultor, quarum quidem ad tempus dominabatur, semper tamen iis ut mancipium serviebat, augendis illis tantopere deditus insatiabiliter, ut proprii commodi studiis, sùsque déque faceret æqui simul & iniqui rationem, & turpissimas usuras. Agnovit igitur Antonius, quàm in misero maloque statu, mox tumulandus versaretur, cujus indebitis laudibus diutius noluit immorari, sed quia defuncto

pro tunc nihil prodesse posset, vivorum saltem salutem ut promoveret, condemnationem ejus æternam potius auditoribus voluit manifestare; suggestum conscendit, assumit pro themate nostri Servatoris illud oraculum: *Ubi thesaurus tuus, ibi est & cor tuum*, (a) orditur singulari cum ardore zeloque sermonem, invehitur in vanam caducarum rerum congeriem, & ob oculos ponit semper duraturæ felicitatis inæstimabilem jacturam; fusiùs explicat, quot sint divitiæ periculis obnoxiae, simulque severè corripit insanum illarum desiderium, & varios effectus. Et ut manifestè videot, ait, quantum divitiæ sui sectatorem hominem cœlō dimoveant, noveritis animum hujus defuncti flammis infernalibus esse sepultum, & doctrinam adducti thematis inconcussam stare, cor scilicet in thesauris sui domini recondi, quod eadem cistâ, quâ thesauros condiderat, absconditum invenietis. Adhæc omnes horror terribilis invasit, quidam aliud per hoc ipsum putant innuere, sed alii, quibus res magis erat cordi, veritatem sollicitius indagant, domum aedunt defuncti, ferinum referant fortius obseratum, quo suos ille nummos asservarat, cor infelicitis homuncionis in mediis pecuniis cum vopore palpitans deprehendunt.

2. Quot non prodigia cum adjunctis præsagitionibus unica complectitur hæc historia? Vedit enim Antonius hominis hujus mores & actiones in vita, miserrimam ejus conditionem post mortem intellexit, & absconditum in gazo-phylacio cor ejus cœlitus cognoscit. Quis non insolitum hoc oraculum admiretur, & certitudinem ejus, quibus Deus disposuit, ut ab omnibus Antonio fides haberetur, dum voluit, & mirabiliter ordinavit, ut pro verborum ejus confirmatione, cor hominis hujus infelicissimi, prodigiō tam horrendō cñm suis thesauris visibiliter inveniretur?

3. Ad-

(a) *Matth. 6. v. 21. Luc. 12. v. 34.*

3. Admirabilis fuit præsaga manus, quæ, sacris litteris attestantibus, contra Balthasarum Regem in pariete scriptis, illum brevi coronâ suâ spoliandum, Regnóque deiiciendum, quod alteri genti conferatur. Res hæc quidem erat humanis sensibus haud insolita, quin effectui possit mandari, cum in proximis adesset hostis, neque res naturæ vires excederet, sed esset illius Regni mutationi conditio[n]ique conformis. Quæ verò S. Antonius prædixit, planè divini consilii sunt mysteria, præsertim, afferere posse, tartareis addictam esse flammis animam, vel coelorum gaudiis intortam, nec potest humanis viribus effici, solum ut cor materiale, palpitan[s] superinsideat nummis. Quapropter omnia, quæ Sanctus hoc loco revelebat, omni majora sunt admiratione.

4. Alia vice, cum concionaretur, subito præmonet auditores, at renderent sibi, futurum enim ut insperato tumultu malus dæmon illos turbare conetur, (b) quod & factum, cùm contignationem, super qua, pro populi multitudine, sub dio perorabat, mox everteret diabolus, & prædictam quidem turbationem, ast cætera ne minimum quidem incommodum causarit. Sunt humani cogitatus tam abstrusi, quos nec Angeli nec homines rimari possunt, quo pseudodeus ille Momus, quem impiissime pagani veteres adorârunt, etiam se deceptum queritur, qui pro se quidem semper assuerus otio, facta tamen aliorum taxare, defectusque cuiusvis retricus elevare solebat. Consueverat hic insulsè dicere, non esse creaturam omnibus omnino numeris absolutam hominem, eo, quod fenestellam pectori præfixam non haberet, per quam ejus astus transparerent, ut fraudes, & bifi[ci]tæ mentis actiones, quibus invicem se mortales circumveniunt, possent facilius & cautiùs evitari, quæ minus nocerent, si corda pellucida, diaphanaque forent. Quò vo-

luit callidus innuere , cogitationes hominum simul esse malitiosas & abstrusas. Quantò magis igitur Angelorum conceptus humanam latent indaginem ? quod ut pluribus astruatur , superfluum est. Concedit vero Theologorum Senatus , plurima posse conjecturis Angelos ab hominibus indagare, cùm contra non possint homines Angelorum proposita , naturæ viribus expiscari, quod solùm Antonio supernè concessum esse videmus, qui licet humanâ conditione non esset excelsior , attamen cacodæmonis (qui superbiâ quidem lapsus , in statu tamen permanet Angelicæ naturæ) maligna consilia potuit prævidere, præviáque cauïione subdolas machinationes impendire, quod facinus est percelebre tam egregii Propetæ.

5. Nobilis & omni virtutum genere conspicua Matrona , tenero pietatis affectu Divum Antonium prosecuta, conciones ejus frequentabat, cùmque semel eisdem interesset, accurrit celer nuncius, festinè perfert, filium ejus ab hostibus interfectum, quo , nec immeritò, bona mater horrore concutitur, tristiāque constringitur. Perspectam autem Antonius fraudem Satanæ , conati, piæ faeminæ devotionem intercidere, mox è cathedra monet mulierem, quieta suo loco subsisteret, filium ejus incolumem vivere , tabellionem hunc styge prorepentem, diabolum esse, cui protinus, ut inde facesseret mandavit , qui terrificis clamoribus & ullulatu disparuit, ut indicaret, quàm acerbè sentiret, in auras vanas dolum suum abiisse, sibique per talem, qui natura se quidem esset inferior, divinâ tamen gratiâ multò fortior, modum poni, darique mandata. Simili ferè ratione stygii veteratoris astus elusit: cùm enim alicubi Monasterio præ- esset , consurgentibus noctu, de more Fratribus ad solitas preces, & inopinanter advertentibus, vicini, sui benefactoris alicujus totam fementem igne correptam, ob idque tumultum excitantibus, adest Antonius, consuetas orci fraudes

des persentiscit, Fratrum quietas orationes interrumpere satagentis, hancque flammatum apparentem præstigiis infernalibus effictam, edocet suos, aristas altero mane non minus vegetas & illætas futuras, quām vidissent pridie, quod ipsum experientia postridiana monstravit.

6. (c) Guardianum cùm ageret Antonius, Podii in Gallia, sæpius obviām habuit hominem, vitæ, morūmque perversissimorum, cui semper Antonius honoris magna signa transeunti solerter exhibebat, dissimulat ille tantisper illatos honores; cùm autem perseveraret Antonius obvium solitè revereri, non continuuit hic iram diutius, irritum ab illo se ratus, necem illi minatur, nî desistat dehinc immetitum se ludificare. Honoris est hoc indicium bone vir (modestè regerit Antonius) & nequaquam contumelia, siquidem te DEUS præelegit, pro fui Nominis & Fidci gloria sanguinem olim vitamque ponere, quod mihi, tantopere licet affectanti denegatum fuit. Vertit adhæc in cachinos ille furorem, cùm rem audiret disparem suæ professioni: Notarius enim erat, & à qua mores ejus alias multum abhorserent, dicit proin à Sancto Patre præstitum illum honorem stultitiae loco, vel ut verius exprimam, pro mentis simplicitate. Paulo post effectus hujus vaticinii subsecutus est: cùm etenim Urbis illius Episcopus, & ipsusmet hic Notarius præter multos alios, iter ad Palæstinam terram instituissent, visendi Dominici Sepulchri gratiâ, contigit, ut in quadam cum infidelibus oborta disputatione super Fidei nostræ Mysteria, Notarius hic intensiore multo, quām ipse met Pontifex, zelo; contentionéque veram persuasionem nostram tueretur, adhibitisque inde variis quæstionibus & tormentis superior, animo magno vitam pro Fide nostra prodegerit, eandem ob causam capire multatus, quo tempore, præfagii sibi præmissi recordabatur.

7. Primi nominis fæmina, Sanctoque nostro multum devota, partuque propinqua, cùm instanti periculo terre-retur, ad preces ejus confugit, spe certâ successus felicioris. Ecce! vix dum ab illa fusis ad DEUM precibus, eam noster Sanctus & facilis geneseos, & nascituri puelli securam redit, qui post exactam pueritiam Franciscanus, & tandem pro Fide gloriosus Martyr futurus eset. Quæ postmodum omnia, sic loqui liceat, ad apicis usque curiositatem completa sunt. Quisnam Vatum futura tām dilucidè præfatus est unquam? Quæ præfigia suum tām exactè sortita sunt effectum? Prædictis cum instructione manifesta, comple-túrque, quæ providè futura monitravit. Habeant sibi scho-læ suas disputationes, quā ratione fatidici futura prævidere possint, & unus quidem altero clatiūs. Elucet ex his manifestè veritatis hujus infallibilitas, quod prætacto modo Sanctus noster non tantum futura cum suis omnibus circum-stantiis prædixerit, sed insuper ea, post hæc, absolutam sui perfectionem omnia sunt afferuta.

C A P U T VII.

*Sanctus Antonius disputatione, & miraculis vincit
Hæreticos.*

I. **N**ON tempus, non charta sufficeret, narrandis, & ex-cipiendis, calamo cunctis, tam historiis hujuscemodi, quam victoriis & trophæis, quorum supra nonnulla te-tigimus, quæ de flagitiis gloriosus reportavit suis concioni-bus, & in lefelsâ scelerum auscultatione quibus utrisque, velut armis munitus, grassanti peccatorum tyrannidi bel-lum in lixit. Si quis horum plura scire desiderat, libeat illi Chronologos consulere. Nos ad alios majoris periculi conflictus, & triumphos gloriosos properamus. (a) Etenim éadem

(a) Antonius hæreticos disputando & miraculis vincit.

eadem Antonius animi fortitudine restitit hæreticis, & illorum insaniis, quâ contra morum perversorum, & flagitorum catervas invectus est, quos tam acriter est insecutus, ut malleus hæreticorum omnibus diceretur, siquidem argumentis & miraculis integros milliones hominum evicit, convertit, & ad Ecclesiæ Sanctæ Catholicæ gremium reduxit, cui plures, quâm alii Principes Ducésque suis armis, subjecit. Horum aliqua, quandoquidem omnium narratio prorsus impossibilis est, deinceps subnectemus.

2. Inter alia præclara, quæ tam naturâ, quâm cœlo dona possedit Antonius, multum ab Authoribus deprædicata, fuit inaudita simûl, & incomparabilis ejus memoria, quâ sacram paginam ita tentaciter retinuit, ad manus sibi promptissimam, ut, si per infortuniū integer bibliorum codex pessum iret, velut alius Esdras illum è solius memoriæ reconditorio, luci postliminiò restituere posset, ita locorum Sacrae Scripturæ gnarus, quæ in suam partem Hæretici detorquere solent, ut in colloquiis, ab illis vix uno citato verbulo, quamprimum Antonius, divinitus illustratus, errorum fuliginem dissiparet, monstratis ad oculum clarissimè fraudibus, quibus oppalliare suam pertinaciam conabantur. Exinde sectariis illius temporis magno terrore fuit, quod Mediolanenses indigenæ, cum Ariminensibus, per id temporis lue variarum hæresum, & colluvie sectariorum infarciti, libenter attestati sunt: Antonius enim profundissimâ suâ doctrinâ, cum robustissimis probationum Argumentis, majorum illorum partem ad frugem & rectæ persuasionis semitam revocavit, inter quos ille malitiosus olim, Hæreticorum antesignans Bonellus numerabatur, quem post annum triginta pertinaciam obstinatissimum, Ecclesiæ Catholicæ, ceu filium obedientem, & fidelissimum aggregavit.

3. Adhæc cervicosi, disputationibus & concionibus abstinent Sancti, veriti, ne forsitan illis confusi, vel his commoti

moti manus dare cogerentur. Cúmque frequentibus ejus instantiis Ariminenses aures illi denegarent, ut igitur omnibus, inquit, Divini verbi virtus innotescat, pisces hujus aquæ (quâ tunc commodum non procul aberat) confluent illud audituri, quos DEI Nomine convocat, innumeri super aquas littori mox videntur adnatare, capitibus concionantem respectantibus, sermone in excepturi. Mirum erat visu, quali cum ordine se componerent, ut impedimentum nullò minoribus majores forent, sed quilibet locum opportuniorem, citra cujusquam alterius incommodum sibi deligeret, exordium concionis Antonii cum silentio præstolantes, qui proinde divinitus inspiratus, illos obligationis suæ commonet, laudandi Creatorem, qui potenter illos condidisset, Elementum iis nobile saltem, dulcisque lymphæ benignè tradidisset inhabitandum, recessibus illarum intimis pro sui custodia munimineque concessis, quivè solos illos, extinctis omnibus aliis creaturis, clementer in cataclysmo conservasset. Similia proferebat Antonius aquatilibus, quæ mutis suis gestibus, pro posse talis auditorii, dictis applaudebant. Testes hujus rei sunt innumeri, qui spectatores accurrebant, dilatata celeriter quaqua versum ejus in confiniis famâ, vixiq;, qui priùs monentem Antonium apernabatur, ad ejus se genua prosternunt, culpam deprecantur, non solum nostræ persuasionis agnoscunt veritatem, verum eandem sincetè professi palam aplectuntur.

4. Finxit foecunda fabularum Antiquitas, petras & sylvas Orphei musicis concentibus excitas, illectos etiam fidibus Arionis delphinos, suis illis choraulibus, quò vellent obaudire, Fabula sunt hæc & à veritate remotissima; voluit tamen his, illorū efficaciam exprimere, qui quasi brutis animalibus, intellectum suis artibus præberent. Attamen hic in veritate se res taliter habebat, quæm ipsum opus manifeste demonstrabat: siquidem Antonius bestias accersit, quæ prom-

promptissimis & attentis auribus auscultant. Tantarum fuit vox ejus virium, cui vel piscium horum natura libenter obsecundaret.

5. Non minùs admirandum & illud est, quod hæresiarchæ cuidam Vivaldo, contigit, qui doctrinâ suâ pestilenti plurimos abduxit. Cùm hoc Antonius Tolosæ, Gallicæ civitate, de Sacratissimæ differebat Eucharistiæ Mysterio, præsentiam illô DEI viventis in Hostia pernegante. Et licet illum plures nexibus ineluctabilis probationum stringeret, noluit tamen obstinatus acquiescere, nisi miraculum patraret Antonius cum suo Sacramento, cujus modum ipsem hæreticus præscriberet, per quod luculenter Divinam posset præsentiam experiri. Proponit ipse conditionem, ut asinum suum triduô sine pabulo domi concludat, elapsô terminô propinet avenam animali, sed Antonius Hostiam consecratam exhibeat, sancteque spondet, quòd ubi relictum pabulum asinus famelicus Sacramento posthabuerit, pronus illud veneratus, idipsum ille Vivaldus revereri velit, & adorare. Acceptat pactum Antonius, condito die concurrit in publico populus innumerabilis, adest hæreticus magnâ suorum caterva comitante, producit exhaustum inediâ mulum, eidem pastum apponit, adest interim Antonius cum Hostia consecrata, jumento mandat, ut omitsô tantisper pabulo, suum Creatorem in Hostia reveratur, vix dum prolatæ voci brutum obsequitur, intatum linquit pabulum, flexis poplitibus Venerabile Sacramentum, cernuum & velut adorabundum veneratur. Quo prodigio tantum hæreticus est confusus, & subactus, ut non ipse solus, quin etiam illius exemplo parentes adhuc tum in vivis, cum tota familia, post adjuratam hæresin, veræ Fidei subscripterint, &, ut huic sibi collato veritatis beneficio grates debitas referrent, ipse vivaldus pauxillum ante perfidus hæreticus, nunc verò DEO devotus, & Ca-

tholicus, eodem in loco, quo miraculum illud accidit, in rei perpetuam memoriam, Nomi*n* Divi Principis Apostolorum Petri Fanum eximium, sui verò, post, illum imitati, non procul inde, minus Delubrum è fundamentis extruxerint, suprāque portas utriusque templi miraculum conversionis ejus, & afini, DEUM Creatorem suum flexis ploribus adorantis, opere statuarii, lapidibus inciso, ponî curârint.

6. Cœlestia prorsùs, quin & divina sunt D. Antonii privilegia gratiæque, quibus tanta peregit, quæ DEUS Omnipotentiæ suæ quandoque denegasse videtur: licet enim in epulo postremo, post institutum hoc Sacratissimum Mysterium, Salvator noster idem sublatum suis manibus discipulo suo Judæ proditori monstraverit, eique sumendum præbuerit, nequivit tamen hoc illum usui rationis restituere, quin imò miser ad instar bestiæ suo pessimo proposito constans, accepto in Sacramentum converso Deo, pervicacior evasit, cùm contra Sacramentum idem Antonii manibus, tantam salutem operatur, ut brutum animal hominem referat utentem ratione, perfidus autem ille bestiæ stupidior perduret. Ibi rationalis Creatura se quasi sensus & intellectus expertem exhibuit, hic irrationale jumentum veluti præditum ratione videbatur. Mirificæ sunt sanè manus Antonii, quibus pro mortalium conversione majora DEUS, quam suis propriis manibus Deitatem simul & humanitatem suam sustinentibus operatur. Unde sufficiens præbeatur ansa (licet ex sequentibus alia nulla daretur) ut in hujus Sancti manibus Artificum piâ curâ Christus investis habitu pueruli speciosi collocetur, in iis quasi bene molliterq; recumbentis. Redimus ad assignatam primam historiam, in qua pictorum aliis error observatur, contra decorem & historicæ veritatis certitudinem fingentium, velut Hostia sacra cum pabulo fuisset ante jumentum projecta, cùm scrip-

ptores omnes, qui tangunt hanc historiam, unanimis asserant, Antonium, Hostiā Divinā, suis manibus apportatā, prodigium hoc executum esse. Addit his Divus Antoninus Archiepiscopus Florentinus Sanctum nostrum indutum tunc casulā fuisse, postquam recenter publicē sacrificiō supplicavisset. Et licet hoc nullis historiatum testimoniis niteretur, alius tamen modus excogitari non posset, cum id præsertim exigeret debita Venerabili Sacramento reverentia, maximè dum cum hæreticis, hujus veritatem abnuentibus agendum foret.

7. Quemadmodum Antonius irrequietè semper hæreticorum bello fuit accinctus, ita se momento quolibet occasiones offerebant illi, pugnandi simul fortiter & ovandi. Inter quas illa numeratur, cui tanto se majore cum periculo permisit, quanto se callidiores hostes & magis absconditos illi præbebant, intimæ specie familiaritatis Antonium ad convivium invitando, quod ipse non renuit, sed utrobique propositis & intentione diversis, dum illi mensam apparant Antonio, escis toxicatis è medio tollendo; Sanctus verò conviva vocatus paret, ut acquirat exin occasionem, illis doctrinā suā vitam æternam comparandi, quam illorum animis ardenter sitiebat, errores eorum vehementer abominatus. Adest hora symposii, gaudio Bonellus hæreticorum conciorum conjuratione architectus exultat, paratas à se contra Sanctum insidias, victoriā suam ratus; ast Antonio divinitus, veneno tinctorum ferculum, commonistratur.

8. Quo nihilo commotior Antonius, absque minimi fellis indicio suaviter suos hospites castigat, quarenam scelos proditionis homicidio voluerint augere? Excusant illi facinus, hæreticis consuetā malitiā, non hoc se personæ, dicunt, odio fecisse, sed ut experientur, veréne DEI servus esset, qui suis aliquando promisisset, si quid mortiferi

bibissent, essentque nullum id ipsis periculum creaturum, protractoque super hoc longius discursu, sensum ipsis Sanctus Pater hujus explanat, quâ nimirum ratione sit intelligendus. Non opus est, ait, ut similia miracula manifestè semper fiant, tametsi DEUS illa quot horis possit efficere, neque necessum est, ut nostra Fides ex illis dependeat: licet enim ad exorientis Ecclesiæ Catholicæ principium miraculorum effectus multum fuerint necessarii, ut iis aucta cresceret, eique fides astrueretur, non tamen modernis temporibus necessariò requiri, miraculis ut assidue foveatur, cùm etiam adultæ jam arbori non illam curam plantationis, irrigationisque, plantæ tenellulæ solitam impendamus. His non attentis, urgent nihilominus Antonium illi, si veneno vesceretur innoxius, tunc se doctrinæ, quam ipsis ille proponit, adhæsuros. Conflatur pactio, quam Sanctus Pater, desiderans ardenter illos ad veræ Fidei lucem manuducere, promptus confirmat. Cùmque formato super toxicum signo salvificæ Crucis, gustasset illud, expestarèt que Bonellus avidè, dum Sanctus, diffusâ per venas peste mortuus procederet, incolumis in id unum Antonius constanter incumbere, suos ut hospites ad sanam Fidem doctrinâ suâ pelli- ceret, nec labore casso, multis illorum hoc prodigo permotis, errores suos abjurantibus, atque complectentibus orthodoxæ Fidei veritatem. Propter id Antonius est vel ut homo divinus, cuius præclara facinora miranda sunt potius, quâm imitanda: siquidem non sua morte cum illis paciscetur, tametsi manifestum in vitæ periculum se conjiceret, quod alius præter Antonium attentare non præsumat: quod enim aliis inexcusabili temeritati, stoliditatique verteretur hoc in Antonio non nisi Zelus est amoris divini, nec non ignitum desiderium, ex errorum tenebris cæcutientem suum proximum educendi.

9. Alii vice quadam, illius ridendi gratiâ, convivam suum

suum ut ageret, rogârunt, bubonem vasti corporis eidem apponunt, cætera mensis insolitum, nec alioquin ominis fælicis volucrem, instant, ut eum aggrediatur, scindat, vescaatur, adducto Salvatoris nostri mandato, quo suis præcipiebat, ex omnibus, quæcunque mensis forent illata, comesse. Sic nequiter hæretici sacris litteris abutebantur! Serenâ fronte discum accipit Antonius, sacram illi Benedictionem impertitur, vi cuius bubo, cibis aliâs humanis inusitatus, mox in tenerum sapidumque caponem transmutatur, hunc Sanctus Pater discindit, iisdemque, qui priùs ludendo sibi contemptim illum apparaverant, dispergit, tibique partem affervat & manducat. Illi qui cachinnos meditabantur, animadversâ subitanea mutatione pérque gustum deprehenso, non jam noctuâ, sed capone, fletum orsi, veram amplexi Fidem, Antonii se pedibus abjiciunt, bene contriti veniam rogant, quam facilius impetrant, & gremio tandem Ecclesiæ Matris excipiuntur.

10. Iisdem Evangelii verbis aliis aliquis, lividus, famam ejus denigrare conabatur, tum hærefoes infectus labet, tum aliâs avertissimæ mentis, quâ mores Antonii Divi, vitamque cavillabatur. Quapropter die, quam Veneris dicunt, illum fallaciter ad prandium invitat, mensæ caponem infert, illo prætextu, sibi nihil aliud ad manus esse, si verus DEI servus esset Antonius, illo titulo tunc illum obligari, cunctis, quæ DEI servis apponenterentur; liberè vesci. Intendebat versipellis, ut si Sanctus Pater non vesceretur, illum transgressi mandati reum ageret; sin verò comedetet violati Præcepti tunc accusaret Ecclesiastici, quo carnium esu prætactis diebus solet interdici. Non latuit fraus Antonium, dissimulatâ tamen illâ, factoque signo Crucis, caponem (ut hospiti videbatur, sed exitu non sperato) convivis dividit, de quo similiter ipse mandit, inspectante latan er hospite, rato, se veraciter Antonium in flagrantia

delicto comprehendisse, colligit hic ossa caponis, involuit mantili, præfert ad Episcopum illius Urbis (cui virtus Antonii maximè probabatur, ejusque propterea famam hæreticus & æstimationem diminuere, vel abolere penitus, si possibile, laborabat) admissus ad aures Antistitis, Fratrem ait illum, quem Sanctum vulgus erroneè crederet diceretque, talis non esse, siquidem die prohibitâ, pene caponem integrum deglutiret. Diducit deinceps pluribus totam rei seriem quodque residuum caponis adferret secum, quod Antonius primulùm ante reliquisset, revolutâ super hæc sindone, producit imprudens ossium loco, spinas piscium, quas non sine justa bile Præsul intuetur, deprehendit nimium fraudem, mendaciique callidi delatoris, qui suffusus faciem rubore, despectus adstabat, propriaque virtus conscientia, domum reversus, ad Sancti genua procidit, conceptam mutat intentionem, & vitam emendat.

C A P U T VIII.

*Sanctus Antonius compescit Fridericum, & Ezelinum
crudeles Duces.*

I. **A** Gebat tunc Antonius in Galliis, ubi pars illorum, quæ narravimus, accidit, pars alibi fuit peracta. Cumque negotiorum Ordinis, aliorumque causâ congeretur, in Italiam proficiendi, per mare suum iter illuc instituit; verum adversis turbinibus, Siciliam respectantibus, avectus à proposito tramite, secundâ vice, cum primùm ut superius ostensum est, ex Africa redux in Hispaniam, ventis contrariis illuc raperetur, eodem appulsus, exscendit, allato secum omnibus communi gaudio, quandoquidem fama sanctitatis ejus, & prodigiorum etiam istuc jam esset perlata, propter quæ, maximo certatim omnes illum honore prosequabantur. Plurimum, illic locorum per id temporis

ris conversatus , animarum saluti procurandæ conduxit , unde cuncti vehementer ipsum suspectabant , eapropter concessis illi tribus Monasteriis , quæ per illud Regnum è fundamentis , ejus opera constructa iunt , quibus non diu , testantibus annalibus anterioribus , cum autoritate præfuit , à Ministro Provinciale Siciliæ rogatus , ut , exigentibus magni momenti negotiis Ordinis , Romam iter in se suscipere non gravaretur.

2. Obsequitur Beatus Pater mandato promptius , ad au-
lam Romanam ubi pervenit , tum ab ipso Summo Ponti-
fice Gregorio nono , tum à Purpuratis Patribus tantâ fuit
exceptus & habitus humanitate , fidem narrantis ut exce-
deret , maximi sanctitatem ejus & virtutem æstimantibus ,
quæ tunc per occasionem personalis ejus præsentiae magis
semper elucebant , quibus cum experientia quotidiana me-
ditantibus ejus æstimatio crescebat , ipse vero doctrinâ men-
tes omnium , & exemplari suâ vitâ tractas captivabat . Quin
ipsemet Sanctissimus divinum intellectus ejus lumen , &
abstractam ab omni caduca re voluntatem penitus perspexit ;
sacrarum vero litterarum profundissima scientia major erat
omnium admiratione . Volvebatur tunc millesimus annus ,
ducentesimusque , septimus & vigesimus , cùm Antonius ve-
stem Ordinis Divi Francisci , paulò sex annis productius
circumferret (quis non merito tot , tantaque , tam brevis
temporis ostensa prodigia ; nec non mirabilis incrementi
Sanctimoniam obstupecat ?) ingruentèque tunc gloriosissi-
mâ Dominicæ Resurrectionis solennitate , Papa remissio-
nem generalem omnium nostrarum , Jubilæum appellitant ,
liberalissimè dispensavit , datis Beato Patri mandatis , ut
primam in illa festivitate concionem haberet , cui sua San-
ctitas ipsamet , cum Cardinalibus & Prælatis aliis , qui tunc
aulæ præsentes aderant , interfuit , affluente variarum Na-
tionum & idiomatum innumerabili conveniarum multitu-
dine ,

dine, quæ tunc Romam, causâ Jubilæi conveebat, ut perorantem Antonium audiret, qui tanto cum spiritu & doctrinæ pondere publicè loquebatur, ut omnibus universalem, tantisque majorem excitaret admirationem, quod auditores divertissimorum linguarum, quivis idiomate ibi congenito Sancti Patris intelligeret concionem.

3. Voluit eapropter Papa Gregorius temporis aliquanto secum Antonium detinere, quod tamen Ordinis negotia non concedebant, siquidem illum Pontifex, ubi commissis in Sicilia sibi negotiis Romæ perfundus esset, in Gallias ablegavit, ut locum Podiensem curaret, exposcente sic temporis opportunitate; priusquam tamen illum in itinere gallico comitemur, ea quæ per Italiam transacta sunt, pervolvamus. Vidi mus huc uique, quanto cum animo flagitiorum insolentiam innumeros homines deperdentiū, malitiosam item calliditatem obstinacium hæreticorum, non pauciores in barathrum damnationis abducentium, aggressus expugnari. De hinc aspiciemus, qualiter simili fortitudine munitus, succenso pectore charitatis flammâ, sicut aliis occasionibus, instructissimos exercitus, cum suis Ducibus invadat. Sunt humanæ mentes origine, naturaque sua prorsus æquales; hominum autem inæqualitas, interna dispositione corporis, & affectuum temperamento procedit, in eoque plurimum consistit, ut bonis malisve Parentibus quis prognatur, quod unum, in omnibus, ab alio plerumque discernit, unde differentia dispositionum illarum internarum in hominum uno causat intensius, seu remissius animi robur, subtilorem vel grossiorem intellectum, quam in alio, quæ mortalium in actionibus ut plurimum deprehenduntur. Naturam non cogit gratia, sed perficit, dum semper illam excitat ad altiora, dirigitque, sic, ut qui naturâ magnanimus est, gratia succidente robur tamen animi non amittat. Quæ propterea memorantur, ut appareat, fuisse

San-

Sanctum nostrum animosum, serium, infraetæ mentis, ignei, celerisque Virum intellectus, ita, tametsi statum prophænum retinuisse, nihilominus, uti Progenitores ejus, in strenuum, & per celebrem militem, sive Ducem evadere potuissent; quem tamen providens DEI gratia, quemadmodum in sequentibus docebitur, ad altiora prædestinavit.

4. Persequebatur per eam ætatem vehementer Apostolicam Sedem Fridericus Secundus Nomine, Romanorum Imperator, ut videre licet in ejus Fastis, & infelix ejus obitus luculenter demonstrat, qui præterquam, quod Fidei veræ cætibus ejectus, Regnoque privatus esset, quod infeliciter finiit, proprium Filium jugulavit, perurgente sic Nemesis jussis justissimo suppicio, filium suum ut is conficeret, qui Matri suæ, Sanctæ nimirum Ecclesiæ Catholicæ fese refragarium exhibuisset. Inter alios, quibus Imperator ille, velut instrumentis, per Italiam, omnis generis crudelitate, Iatrociniisque graſſabatur. Ezelinus erat, Romanus appellatus, hic terribilis tyrannus, feram belluam magis, quam hominem indutus, fundendo sanguinem Christianorum insatiabilis, tigridem sanguinolentam suis moribus exprimebat, subnixus etiam armis Cæsaris, tyrannides in iis Provinciis prius inauditas, præsertim Patavii, Veronæque crudeliter exercuit, ibidem hominum undecim millia suppliciis variis confiendo, similibus impunè truculentis alias debacchatus, omnibus incusso sui trucis, & inexorabilis dominatus terrore, velut indomabilis bestiæ, Cæsaris armis, & potentia suffulta. Versabatur per idem tempus Antonius in Italia, cuius ad aures pervenerant luctus, & querelæ mileri populi, quem truculentus Ezelinus opprimebat, suam servitutem deplorantis, nullius tamen auxilio sublevandi. Commotus igitur Sanctus Pater oppressorum miseratione, zelo ue dilectionis inflammatus statuit, tametsi cum vitæ propriæ periculo manifesto, de remedio necessario providere. Vitæ jacturam

suæ tanti noti fecit, dum aliorum salus conservari posset, amor prorsus heroicus! Et sicut hoc apud se statuit, ita con-nata sibi generositate, quam DEI gratia comitabatur, in opus rededit, Ezelinum ipsum insectatus, turmis militum penetra-tis, usque dum ad conspectum ejus consisteret, quem allo-quitur ferio, vebis liberis increpat, illum, ait, esse leonem, qui semper fitiret hominum cruentum, ipsum tot innocenter occisorum agi reum, supplicium insuper infernale minita-tur, nisi tyrannidi suæ, quot diebus sine causa furenti fi-nem imponat. Hæc cum pluribus aliis, efficaciam similis, Antonius imperterritè, liberaque mente loquitur in faciem Ezelino, prætolatis inter hæc præsidariis, non procul ex-cubantibus, nutum Domini, signumque, quo Sanctum hunc in frusta dissecarent, quod aliis, minus delinquentibus, ante-a sæpe fieri mandavit; verum, contra conspiciunt, inge-niculatum Ezelinum ab Antonio veniam, & multam sup-pliciter exposcentem, ex leone præferoce mitatum in ovi-culam mansuetissimam, sibimet loco testis, soluto cingulo collum inferentem, quo se criminum objectorum sibi reum fatebatur, obstupescientibus ad hæc excubiis, in homine tam bæbaro, causamque scire desiderantibus, non differt ille, dum ii sciscitentur, sed ut primum Antoninm dimisit, enar-rat, divini splendoris radios è vultu Sancti Patris, tam au-dacter se commonentis, emicuisse, qui totum se terrore, tre-moreque concussissent. Et licet Ezelinus post hæc aliquam-diū furori suo lupatum imposuerit, attamen quia vel ad pri-stinos relapsus mores, vel sanctitatis Antonii Divi dubius, ut certius ejus caperet experimentum, sequenti conatus est in-dagine rescire.

5. Incorruptæ muneribus manus, integræ vitæ nunquam non fuerunt indicium, cum largitionum ambitus, liberalis vitæ, virtutumque splendorem semper soleat offuscare. Quod ipsum Ezelinus, quantumcunque cæteræ trux foret, probè
co-

cognôrat. Cui tametsi prodigia Sancti Patris, nedum enarrantium famâ, sed experientia quoque, paulò superiùs innotuerint, nihilominus adhuc dubiam sibi Beati Patris Antonii Sanctimoniam constituit largitione munerum tentare, patatum igitur in id congiarium à suis, in speciem, officiosissimè Sancto jubet offerri, superaddito mandato, quod si donarium Antonius acceptaret, ipsum extemplò, veluti vulgarēm hominem enecarent, sin verò respueret, uti Virum Sanctum, & verum DEI servum illum revererentur. Intellexit namque Vir, cæteroquin inhumanus, ubi lautia inhumanus admitteret, doctrinam ejus vanam, hypocriticam verò sanctitatem, prodigiique fore; cœlestem autem hominem, & Altissimi sincerum famulum, si recusaret. Cumque venissent ad Antonium Ezelini Legati, prolatis ad mandatum munusculis, severam quamprimum Antonii percipiunt animadversionem, recederent ocyssimè, divinam experturi vindictam, si moram facerent ulteriorem, indicarent suo Domino, salutis suæ curam ut haberet accuratiorem, secus flammis tartareis, nisi mores expungat profligatissimos, adjudicando.

6. Enimverò completum hic est opere, quod olim Divinus Spiritus prolocutus est oraculum, vitam scilicet illum perennaturum, cui forent odio donativa (b) siquidem Antonius largitionum odio vitam suam conservavit, cum satellites Ezelini, notato, nullis eum induci posse blanditiis, ut offerentibus acquiesceret, ab inferenda nece, non tantum, ut jubebantur, abstinuerunt, quin ad ejus abjecti pedes, consilium, eum è medio tollendi, sponte sua propalârunt, illumque supra reliquorum hominum esse conditionem, Vi. rûmque Sanctum sunt arbitrati. Tantum authoritatis, & aestimationis Antonio conciliavit apud id gerus homines unicus lautiarum contemptus, quod virtus ejus, & prodigia

F 2

non

(b) *Qui odit munera, vivet.* Prov. 15.

non valuerunt: tantundem valet, hominis cuiusvis genius, proprio commodo dantis operam, vel illius gratiâ suam dignitatem augendam, seu diminuendam insuper habentis Pro multifariis avertendis necessitatibus fideles implorant Sancti nostri subsidium, pro rebus desperditis, videlicet ut reperiantur, infirmatibus, ut carentur, proque negotiorum difficultiorum successibus promovendis. Illis pro Patrono non immerito debet invocari, qui munerum prensandorum inexplebili siti se succensos, adinstar hydropticorum sentiunt: his ad illum securè confugiendum est: licet enim hac lue quamplurimi decumbant, illius liberatione semper indiget, potis est tamen Antonius, omnibus his auxiliatrice manu, quemadmodum occasione præmemorata præstítit, hujus malii sordes tergere, mundosque deinceps conservare. Quare præsens hoc prodigium inter maxima numerari, quin vires illius Angeli potest excedere, qui sibi Balaamum obvium in angiporto, nudato gladio deterrere conatus est à proposito, quo congiariis illectus gentem Israëliticam diris devoturus erat, cui tamen Angelus ille non prævaluerat, Balaamoviam, & modum alium inquirente, quo denariis promissis potiretur: tantæ nimirum molis est, largitionibus, & pretio quempiam corruptum esse.

C A P U T IX.

Sanctus Antonius in Gallia Prælati officio fungitur.

I. **T**andem Antonium ad Gallos abiturientem deducemus. ubi, cùm feliciter illuc advenisset, Præfecturâ Cœnobii Podiensis sanctè perfunditus est, ob id, & sanctitatis opinionem, quâ fulgebat, maximis omnium honoribus affectus. In eadem Urbe, Nobilis alicujus, sibique familiaritate notissimi sumptibus, Monasterium extruxit. Notario glo-

gloriosam pro Christo mortem prædixit, aliisque multa peregit, antehac à nobis enarrata; ne similis qualitatis historiæ se jungerentur, & libellus hic justæ magnitudinis non excederet mensuram.

2 Transactis annis gubernaculi Podiensis, Provinciæ Lemovicensis in eadem Gallia comprehensæ, Custos est denominatus, cui, pro sui Muneris exigentia, fortuitò Claustrorum in aliquo divertenti, Fratrum quis suam effudit conscientiam, similque concredidit, se Cùpidinis urgentissimi stimulis instigari, contra quos nec inedia, nec preces, nec pervaigilia, nec ullæ se corporis afflictiones tuerentur, cuius rei gratiâ Sancto se Patri commendat, subsidium ab illo suppliciter efflagitando. Quem benignè solatus Antonius, induit interulâ suâ, effectu tali, mox ut assaultibus istis, ad instar Angeli se sentiret liberatum. Quod opinione multorum, maximum est prodigiorum Antonii, quandoquidem operæ majoris esse putant, uno simul impetu veneros ignes domare, difflaréque, quam terrarum elementis imperare.

3. Demirantur sacratum litterarum Interpretes miraculum istud nostri Salvatoris, quando mulier hæmoroide plures in annos exhausta, solius institæ sacræ contactu, quâ Talaris Dominica prætexebatur, pristinæ restituitur sanitati. Quod non tantâ videtur dignum admiratione, cum DEUS & Homo, simul in uno corpore copulati, podere fuerint illo vestiti, purissimis Virgineæ Matris MARIÆ manibus contexto, quæ singula tantæ sunt qualitatis, & efficaciæ, quodlibet ut se solo sufficeret, cœlestibus hujusmodi beneficiis diffundendis; tunica verò, cuius Frater ille virtutem est expertus, erat Antonii, Sancti quidem, non tamen collocati supra mortales, erat ab ejus corpore separata, quam nec puritatis Regina fabricavit, lui tamen pejori multò, virulentiorique medetur. Cui non appareat manifestè facti prodigiis magnitudo, rem unam cum altera conferenti? DEUS qui-

dem omnium solus dominatur, hic tamen minus voluit operari, sed operosius perficiendi potestatem Antonio delegavit. Tyronis, cui dæmon, ut sacram Ordinis tunicam abjiceret, suasit, & persuasisset ferè, reseratis ejus à se faucibus inflavit, his additis: accipe, fili mi, Spiritum Sanctum. Ad quæ protinus miles novitus, stygiis illis suggestionibus expeditum se sensit, tandemque progreſſu temporis opinionem strenui veterani consecutus est. Quod facinus alteri simillimum est, quando Christus noster Dominus discipulis Divinum Spiritum oris sui halitu communicavit, quâ veluti vicariâ potestate Divus noster Antonius utitur, quasi nostri Servatoris in vicem, omnibus imperitaret, quod sequentibus comprobatur.

4. Accidit, ut, dum aliquando sacras litteras Fratribus prælegeret (ut plurimum enim vel Prælati, vel Doctoris munere fungebatur) novitus, hospite non salutato, fugâ se surriperet, ablato secum furtivè Psalterii Davidicî codice, quem ipse Sanctus glossis manu propriâ condecorarat, ob id sibi, dum Fratribus aut concionaretur, aut intricatores divini textûs explanaret passus, non parum usui, pretioque. Ut primum hoc Antonius inaudiit, duorum valde magnam doluit jacturam, alteram libri, cui studebat, novitii plus alteram, cuius æternæ perditioni timebat vehementer. Solitis proinde se dat precibus, quóve celerius properabat fugitus, tantò ferventiùs Sanctus instat orationibus, ut citius ad DEUM hæ penetrârint, quàm ille præfixum sibi suæ fugæ terminum assequeretur, coactus tandem iis, ut furtum restitueret: pontem enim transituro, tetrâ formâ diabolus occurrit, intentata nece, nisi quamprimum Antonio librum refferret, tametsi verò miser contraniteretur, ad amoliendam à se furti suspicionem, illum tamen tenebrarum stygiarum inquillinus ense vibrato manibus, ad redditum, & voluminis restitutionem adegit, post quod, facti poenitens, veniam, quam

quam petiit, Ordinemque facilius impetravit, correctisque moribus, in primae vocationis proposito perseveravit.

5. Quis iterato non hujus gesti mitaretur novitatem? attento, magnum illud fuisse, dum Cherubinus veratili thomphæa terribilis, Adamo, primo generis humani propagatori Paradisi limina præcluderet, ut hic in exilio sibi præscripto, transgressi semel mandati culpam nunquam non deploraret, emendarétque, quódque, veluti pronuper attigimus, alias Angelus, homini diris alios devoturo se contrarium opposuerit, atque hunc in modum spiritus hi superi, divinæ participes gratiæ, gloriæque, restituerint pravitati, nec non humanæ resipiscientiæ collaborârint, cùm contra, miraculo sit plenissimum, ut cacodæmon (qui mali, milléque doli solus est artifex, & suopte genio mortalium seductor) gladiatus, furtis, & Apostasiæ bellum indicat, suæque ruinæ cursu pronissimo propinquantem hominem, in salutis viam, renixum etiam, vi repellat. Quo nimirum Beati nostri Patris rara Sanctitas, aucta magis, & vulgata fuit, quippe quòd Orcum posset adigere, congruis ut mediis conversioni peccatorum cooperaretur.

6. Non pauci sunt opinati, propterea Sanctum Antonium reperiundis rebus amissis Patronum præfici, cui nimirum deperditæ rei pretiosæ dolor non esset incognitus, illum igitur huic dimovendo laborâsse, quandoquidem miseris nulli sciant succurrere promptius, quām, qui malorum timilium non sunt ignari. Nec debili superstata hæc sententia fundamento; non securissimè tamen huic est innitendum, si quidem advero, Sanctum hunc nostrum Patrem, ita variis hominum, absque delectu, mederi necessitatibus, ut præpotenti magis universim ejus virtuti, quam ad hanc, vel illam solam miseriam inclinati speciali Patrocinio putaverim hoc adscribendum, præterquam quòd plurimi Beatorum contra diversos morbos invocentur, puta, Divus Blasius anginam

ginam detergere, Beatus Maurus, quem Amarum alii solent appellare, membrorum paralyses consolidare piè creduntur, quarum tamen infirmatum molestias neuter expertus est. Inclamat, cum hoste quotidie confligens Mater Ecclesia Partheniam Cœlorum Imperatricem contra periculosam extremæ mortis agoniam, quam tamen certissimum est, omnis omnino doloris, & angustiæ, dum ad superos abiret, expertem fuisse, sed sub suavissima divinæ dulcedinis contemplatione, sibi præparatum interminabilis gloriæ thronum conscendisse. Quam igitur ob rem Æternitatis beatæ Reginam, reliquosque Cœlicolas votis, precibüsque compellamus, ad abigendum ea mala, quæ nunquam illi senserunt? Causam hujus ex cœlestis efficacia virtutis diducimus, quâ scilicet illi languores experimento proprio non conceptos, potenter ab aliis depulerunt. Siquidem Cœli, terrarumque Domina nobis, circa supremam luctam it suppetias, licet in illius excessu sanctissimo, quidquid tristitiaæ foret & terroris, inde longissimè faceßeret. Divus verò Blasius, aliive Cœlites pluribus opitulati sunt, qui spinis aliâs gulâ transversim hærentibus, suffocarentur. Ut inde profici sci cognosceretur gratia, facultásque, quâ Cives Cœli plurium indigentiis mortalium, & languoribus manus ferrent auxiliatrices, tametsi similibus malis, dum inter mortales agerent, nunquam colluctati. Verùm Divus noster Antonius gratiâ prævalet, omnibus omnino, singulisque subveniendi, quam tot, & innumeris animi, corporisque morbis, & periculis quotidie; quin & omni propemodum horâ dispulsis profusiùs elargitur. Ad reliquam historiam stylo regrediamur.

C A P U T X.

S. Antonius in Italia, & Lusitania miracula patrat.

I. **O**ffendimus, ecce! reducem in Italiam Antonium, quo vel animarum Zelus, vel Ordinis illum negotia revo-
cârunt,

cârunt , ubi Forliviensis Urbis in agro , Clemonensis Domici-
lli fabricâ dum occupatur , subne^ttendum mox portentum eve-
nit . Fortè carrucarius locum proximè prætervehitur , ubi
Domum illam Antonius moliebatur , quem præfens tunc Bea-
tus Pater amicè rogat , quandoquidem bigam vacuam trahe-
ret , vellet onustam eam materiâ , non procul inde præparatâ ,
pro strue præsenti secum advehere . Negat ille , tantum sibi
temporis suppeteret , quod exanime cadaver (socius ejus erat
somno sepultus) vœstabulo suo sepulturæ traheret inferendum ,
quo Sancti se Patris petito vafer extricabat ; attamen progres-
sus longius , stertentemque cum fannis excitando , recensurus
illi , qualiter Sancti Patris remoram elusisset , repetitis nequic-
quam clamoribus nullo respondente , consenso tandem cilio ,
comitem , quem dormire credebat , vivis excessisse deprehen-
dit , tuin tremebundus ille carpento desilire , profusis pœni-
tudine lachrymis Sanctum adire Patrem , eisque dolenter ex-
cessum hunc enarrare . Quem blandè benignus Pater conso-
latus , cum illo ferale vehiculum accedit , ubi tam efficaci-
bus DEO supplicavit orationibus , ut nuperrimè mortuus mox
amissæ vitæ receperit usuram . Quâ non vitæ , necisque valet
Antonius potestate ? Manifestè certè concluditur exin , utri-
usque sibi clavem divinitus esse commissam , quando tam facile
mortis occludit specū , quam vitæ portaā potis est reserare . Quod
solū , humanam carnem induō DEO concessum esse , sacris
paginis edocemur , quodque Salvator ipsem̄ noster glorian-
do deprædicat , idipsum Antonio quasi communicando dimidia-
tum , in non vulgare pronissimæ Clementiæ , simul & familia-
ritatis argumentum

2. Similium plura , quæ sub oculos cadunt , & invisibilia
prodigia per Italiam hinc illincque variis occasionibus Anto-
ninus est operatus , ejusdem alia rationis , in Francia peragen-
do , dum ibi necessitas exposceret , ut momento se temporis
conferret in Lusitaniam , Olyssippone binis Genitorum suum

gravissimis periculis exempturus, cum quibus honor ejus, fortunæ, quin & vita conflictabantur, cui modo planè mirabili suppeditas tulit, vice repetita. Primum cùm ejus Patri Martino Buglioneo, magno pondere, summâque pecunia committeretur, variis Regni negotiis, usiblisque dispertienda, cuius bonam partem is inferioris curæ Ministris distribuit, quod libet illâ proprii cuiusvis muneris negotium expeditur, non repetitâ traditorum illis à se numerorū apochâ, dum scilicet illos candido suo, liberali, minimeque fucato genio dimetiretur. Faetumque prolapso temporis, ut tabulæ rationum ad calculum vocarentur; cùm subitò, medianam unus, integrum alius æris ab alio sibi concredi, partem audacter illi pernegavit. Inopinatâ perfidiâ, virorum optimus, consternatus, turbatur vehementer, destitui se chyrographis illis necessariis, quibus justitiam suarum adstrueret rationum, Réxque statuerat, ob id regali fisco fortunas illius omnes adjudicare. Citatur à fisci Senatu, tabulas ut ponat. Paret ad conditum diem, præsentibus Ministris, qui pecuniam à Buglione sibi fideliter adnumeratam, nequiter subticebant. Cum ecce! medius illorum adstat Sanctus Pater Antonius, eodem illo momento simul in Italia commoratus, severis illos verbis increpat, hac, ait, horâ tu tantum, tu tot illa die, tu talis imaginis monetam accepisti, cave sis, protinus alioquin cœlo condignum supplicium subsequetur. Prolatis his omnium illorum oculis Beatus Pater eripitur, illi vero Sancti voce, mandatique tam fulminati, confusique sunt, ut citra rigidiorem inquisitionem, acceptam prius, & dolosè suppressam pecuniam ultrò faterentur, interventu Sancti Patris Antonii calumniâ Martinus eximeretur, nec non & Fisco Regio pro commissa pecunia, Martini justis rationibus abundè fatisficeretur.

3. Hujus occasione miraculi, rati sunt nonnulli, fuisse Martinum ærario præfectum, sive Quætoris præditum officio,
cu-

cujus manibus proventus regii cogerentur , atque dimanarent; attamen hæc opinio gratuita , multum ingenuitati derogat Buglioneæ : poterat enim Martinus supra functione talis munieris , altioribus adhuc , & magis arduis negotiis occupari , pro temporis occasione dirigendis. Erat ejus conditio , bellica tractare, degebat Olyssippone , Metropoli Lusitanæ , cuius in viciniis loca non pauca Maurus occupabat , unde necessitas expetivit , ut stipendia varia , per suos illos , de quibus ante paulo , Ministros , ex Regis redditibus militi dispensaret.

4. Et si Fastos penitus inspiciamus , potissimum , quando prodigium hoc evenit , manu quasi præhendo , propugnaculi , quod Alcasar do Sal indigitant , naturaque simul & ars inex-pugnabile propemodum fecerant , inseSSI à Mauris , oppugnat onem huic miraculo causam præbuisse. Fuerat hujus expe-ditionis Inventor primus , & Director , Don Sverus , Episco-pus Lisbonæ (quem alii Matthæum nominant) cuius is Al-phonsum Regem , Coimbricæ decumbentem , certiorem fa-cit ; Probatur Regi Zelus Antistitis , mandat proin , ut me-diis pecuniariis illi succurratur , & à proximis Ductoribus miles conserbatur. Diæta , factaque sunt omnia celeriter , collectis viginti millibus Lusitanorum , præter alias milites (qui commodum excenderant illo tempore Lisbonæ , ter-ram palæstinam expugnaturi , cuius gratiâ multi Principes Christiani , fœderibus junctis , vires coadunabant) excidium orsi sunt illius loci , qui non perfundoriè tamen repugnabat , dum omnes Mauri suos nervos intenderent , ut expugnationem dissiparent. Eluso nihilominus hostili renisu , post casus mul-tos , variosque , manifestâ partim Cœlituum assistentiâ , ma-gnis partim animis Exercitus Christiani , tandem Alcazar in nostrorum rediit potestatem.

5. Non potuit tunc minus Antonii Divi Pater , quâm ut eidem interesset militie , veluti Nobilis Ductor , indigenaque Lisbonensis Urbis , ubi præcipiuus fiebat apparatus expugna-tionis

tionis Alcazaranae. Fidei proinde non est absimile, du&tu, mandatōque Martini Buglioni, magnam pecunia& vim stipendiariis colligendis, conducendis que rebus aliis, ad oppugnationem necessariis, expensam fuisse, cūmque post, immensum computus excrevisset, supra memoratum miraculum eluixisse, quo Divus Antonius Patrem angoribus liberaverat, quibus hic constrictus hærebat, non invento, quo Senatui fiscali suam innocentiam demonstraret. Tametsi verò nostra sententia nihilomagis testimonio documentorum innitatur, quām illornm, qui Martinum in Quæstoris angulo duntaxat, adducti, conjecturis concludunt; nostra tamen fide dignior est, quippe, quæ tempori, nobilitati, conditionique Genitoris Antonii nostri correspondet.

6. Præsul præmemoratus Sverus, narratæ primum expeditionis Architectus, pluribus post annis superstes, Romam adiit, Italiāmque peragravit, in qua profectio&ne notitiam cum Divo Bonaventura familiarem fortunatè contraxit. Unde Sanctus ille fatetur, in historia vita Sancti Patris Antonii, quām contexuit, Sverum Antistitem illius Basilicæ, quæ Divum nostrum Antonium sacro Baptismatis lavacro Christianis aggregasset, quēmque multis annis is in Lusitania novisset, initium sibi conscribendorum ejus gestorum præbuuisse. Non multum post hæc temporis effluxit, cùm Beatus Pater simili planè miraculo rediit Olyssipponem, ut Patrem suum prioribus periculis, alteri longè majori surriperet necessitatī. Differunt hujus Sancti Scriptores in circumstantiis, tametsi nucleus omnes attingant. Seriem nos magis tritam amplectemur.

7. Lethali duo magni Proceres ab invicem odio dissecabantur, Martini Buglioni confines propinqui tantum, ut alterum alter intempesta nocte confoderet aliquando, tegendoque sceleri, proximè limina domi& Buglioni cadaver enecati sepeliret. Vix dum altera dies illucescit, interempti notatur absentia, qui solitus est omnium in oculis, oréque versari, faga-

sagaciter Magistratus necis authorem indagat , tandemque sanguinolentis vestigiis inhærendo , prætacto loco cadaver deprehendit. In vincula mox Buglionus rapitur , adhibetur quæstionibus , tantæque certitudinis indicio , cum aliis inductis probationibus oneratus , morti finaliter adjudicatur , produetus jam in funestum extremi supplicii catastroma , prorsus eadem horâ , quâ filius ejus Antonius Patavii concionabatur , cui cùm divinitus supremum Patris periculum indicaretur , pronus pulpito nonnihil inclinatus , ibidein personali præsentia persistit , & virtute divina , simul momento celerius Lisabonæ se sistit , in facie Judicum tuendam Parentis innocentiam assumit , & promittit , in hujus infallibile testimonium , ipsius occisi suffragia se requisitum , petique , vellent omnes eum in finem , ad summam Ædem , ubi peremptus tumulo condebatur , se comitari. Suspenditur adhæc executio supplicii , cum Sancto Patre pergitur ad conditorii locum , ubi DEI Nomine , defuncto Sanctus mandavit , resurgeret , palamque quod novisset , eloqueretur. Prò stupor! obaudit voci mortuus , sepulchro prodit , inspectante tota concursantis populi multitudine , testatur illum , qui causâ sui ductus fuisset , nec authorem , neque suæ necis omnino participem esse. Instant super his Judices , vellet Antonius , ut latronem resuscitatus proderet , quibus mansuetè Beatus Pater : non , ait , se venisse , fontes ut condemnaret , sed ut insontibus esset liberationi. Illabitur post hæc alter suo tumulo , sed absolutus omni suspicione criminis Martinus domum lætus regreditur , & Antonius Paduanus , ut interruptam tantisper concionem reassumat , exculpando suis auditoribus moram , quâ diutius illos detinuissest , profertque totam illis rei seriem , quorum aliqui minorem ei fidem adhibendo , majoris gratiâ certitudinis Olyssipponem nunciis alegatis , rem ipsam Antonii Sancti depositioni comparem esse repererunt.

8. Nispiam legisse me memini , corporali præsentia Sanctum aliquem , toties uno simul tempore locis diversis comparuisse , quemadmodum Sanctus hic noster multifariam non obscurè videbatur , de quo , præter Paulum ante memoratas epiphalias similia plura produntur , eundem longissimè disjectis in climatibus horâ simul eâdem cominoratum . Quale fuit , cum Sanctus hic alicubi quondam Guardianus , foras iret concionatum , oblitus est , alteri committere , qui sui loco legeret uitiam in Choro lectionem , quod munieris tunc ipsum contingebat ; recordatus autem hujus erroris , sensit illum intimius , cui solito DEUS non defuit solatio : fecit enim , ut ejus in eodem fugepto præsentia durante , dum in Choro lectio sermonis esset decurrentia , suo fungeretur ibidem Antonius officio , tuncque demum ceptâ pergeret concione . Non absimile contigit alia vice , cum procul suo Cœnobio dissipitus , in medio persolventium Horas , quas vocant Canonicas , Antiphonam suo præcedendi jure , visus est intonare . Videtur hoc medio DEUS pronissimam exerere voluisse voluntatem , confandi Beato Patri plurimum æstimationis , cum defectus ille necessariae lectionis facilius , viribusque naturæ suppleri , Parentisque periculis ultimis aliâs occurri potuisset , attamen operosiora , miraculaque DEUS prælegit , ut illorum præconio quaquâ versùm personante , tantus ejus amicus magis innotesceret , & ab omnibus haberetur in pretio . Cui vel istud quoque mysterii sublatere potest . Cum acerrimus esset Antonius Eucharistiae Sacratissimi Sacramenti propugnator , ea DEUM illi , possibili modo privilegia communicasse , quæ sibi cæteroquin Homini-DEO , Sacramentum induito competenter , qui , quoties in Ara Sacris ubivis litaretur , præsentiam suam corporalem ineffabili modo multiplicaret .

9. Si narrata primùm sunt admirabilia , majoris erit istud admirationis dignum , quod cum Infante successit , cuius Génitor Alphonsus Nonus , Rex Legionis , Sancius verò Lusitanorum

norum Rex, propter Filiam Theresiam, erat Avus: cùm enim Princeps illa Virgo, decenni vix major, vitam cum morte commutāset, Rexque regali pompa parentare Virginis cogitaret, obnittitur Regina Mater, singulari devotione Divum Antonium prosecuta, rogātque filiam adhuc per biduum inseptam aſſervari, precibus instantissimis interea Sanctum incessit, ad vitam pristinam velit eam revocare, simili-que commonet, ad hoc illum, veluti titulo gentilitatis obligari, quod eādem uterque tellure, Rēgnōque foret oriundus. Exaudit benignus Pater ardentissima vota, filiamque Principem vivam genitrici restituit, mox tamen dolenter Matri con-questam, quod gaudiūs eam abstraxisset, & gloriā, quibus jam perfrueretur, hoc ſuperaddito, DEUM ad Antonii Divi preces quindecim tantum ſibi dies indulſiſſe, quibus mōſtæ matri liceret conversari. Quod effectu ſuo non caruit, iis ipſis diebus elapsis, ē mortalium rebus ad feliciora Principe filia remigrante.

10. Dubium hujus prodigii causā, movet in Sancii Secundi gestis, Brando Scriptor Lusitanus, Principem hunc non niſi duarum fuſſe Patrem filiarum, Sanciæ ſcilicet, & Dulcis, quarum utræque vitam ulterius produxiſſent, ætate mortuæ provectiores, unde ſequeretur, historiam hanc prodigiosam ſubſiſtere neutiquam poſſe. Corroborat authoritate ſuam opinionem, Archi-Præſulis Roderici, qui, viventibus adhuc illis Regibus, annales ſuos conſcripſit, duarum duntaxat illarum filiarum memor. Cui reponi facilius poſſet, non infallibilis eſſe ſemper probationis argumentum, dum Chronicus aliquis in Principium quandoque genealogiis delineandis, unius, aut alterius filiorum imprudens obliviſcitur, cuius exempla non defunt ſufficientia variarum historiarum, ubi plures alii, pauciores Infantes alteri deſignant. Ast tamen hoc aſtruſionis labore ſuperſedemus, cùm Uvaddingus in ſuis annalibus verum nobis edifferat, irrepſiſſe, nimirum errorem undecim, vel quin-

quindecim annorum, quos Infantis hujus, qua de sermo nobis, addidit ætati, qui gestorum ejus primus facit mentionem, culpâ non quidem Authoris, sed illorum, qui primitus hæc illi communicaverunt, qui proin arithmis tantum annos illos notavit, in quibus tot absconditœ sunt æquivocæ significations, quot in arithmeticæ differentiæ reperiuntur. Et qui priisci Brandonis originales Commentarios librarii transcriperunt, undecimum, decimumve quintum numerum, qui tamen adhuc magis debebat excedere, per ignorantiam, vel inadvertenter subdiderunt. Unde patet, miraculum hoc, natu majori filiæ, Sanciæ, Valentiæ civitate Galitiæ contigisse, sublato jam humanis Alphonso Patre, Fratréque Regni gubernacula moderante.

11. Facile Scriptorum hæc controversia, productis iis in medium fundamentis componeretur; ast Theologorum certamen videri posset difficilius, disquirentium, quo foret pacto possibile, certis, felicibus, & nunquam finiendis æternæ beatitatis gaudiis, gloriâque possessor plenissimus qui frueretur, ut ad periculosem, deplorandumque statum viatoris in miserâs terras retruderetur? non est operosum tamen hoc extricare se labyrintho: seclusis enim placitis Academicorum, præsenti negotio parum servientibus, difficultati plurimum arduæ (quo scilicet modo, desertâ patriæ, gratiâque securâ statione, redeatur ad peregrini miseram conditionem, pluribus in offensam DEI relabendi periculis obnoxiam) sic obviatur. Facillimum videlicet Omnipotentiæ divinæ fuisse, reducem ex mortuis Infantem, diebus iis, per quos Reginæ Matri, dispensatione mira convixisset, gratia mediante, contra noxarum illecebras, & assultus immunem præservare, tempiisque, quod instar viatoris, mortales inter illa transegisset, ut gloriâ rependeret ampliori. Dumque Lector benevolus altiori cogitatu rem pensitaverit, usquequa nimirum eam exoticam esse, deprehendet, & animadvertiset, DEUM esse qui

qui patravit, sed Antonium, qui suis efficacissimis precibus miraculum impetravit, faciliorem etiam similibus, retro nunquam auditis prodigiis fidem deinceps accommodabimus, fundatis in probitate, simul & morum integritate, quā celebres præfulserunt, Regina Theresia, Mater, quæ gratiam hanc expetiit, & Sancia proles Regia, cui fuit concessa, quippe quæ perrennis felicitatis sibi collatæ, talibus, tamque manifestis indiciis hinc ad Superos demigrârint, ut ad hunc diem, illarum de Beatificatione tractetur, & eundem in finem, utriusque vitæ, sanctè transactæ, virtutumque processus, ut ajunt, & libellus concinnetur.

12. Revertimur ad Sanctum nostrum Patrem Antonium, suorum non oblitum necessariorum, quem observantia patriæ commovit, ut talia, quæ naturæ limites supergrederentur, perpetuaret: nepotulum enim unum è sorore, dum Olyssipone puerilit in maris crepidine coætaneis colluderet, præfocatum fluctibus, ad improbas matris preces, in mentem illi revocantis eadem, quæ contulisset exteris beneficia prodigiosa, suis ut non denegaret, exauditæ parenti redivivum exhibuit, qui post, ingressus annos pubertatis, albo Divi Francisci nomen dedit, & ejusdem adusque halitum extremum vestigiis insistendo multis vicibus, miraculum hoc, & gratiam, Ayunculi sui Sancti magnis meritis exhibitam sibi, recentebat.

13. Tantâ frequentiâ miraculorum, quæ tam absens corpore, quam præsens Antonius executus est, inculpatæque vitæ sanctimoniam multos animorum millions DEO reconciliavit, morbidis incolumitatem, cœcis lumen, vitam mortuis donare, familiare fuit Antonio, vulgarèque, quibus multi codices cum hac Epitome comprehendendis non essent, hinc ubique terrarum diffusa prodigijs Nominis ejus fama pervulgabatur. Imperabat illis temporibus Lusitaniae Sancius II. Divo Antonio peculiariter devotus, cujus regi-

mine pars major mirandorum ejus eluxit. Capelli nomen huic Regi affingebant æmuli, qui etiam invidiæ sensim insolecente, Clerum ad suas adsciscunt partes, tunc etiam à Regis adversum partibus, eò quòd immunitates illius, & privilegia pro munere non tutatus fuerit; Summum adeunt Pontificem, Innocentium IV. rogántque instanter, Sancius ut folio deponatur, in ejus sufficiendo locum Alfonso Comite Bolgonæ, germano fratre; quodque petierunt, impetrant, unde Jure Canonico Capitulum illud insertum est: de supplenda negligentia Prælatorum.

14. Refudit tamen Beatus Pater huic Principi cultum, & affectum exhibitum sibi, cœlesti remuneratione quamquam enim illum frater, & subditi Coronâ regia spoliârint, hoc tamen medio pretiosiorem inter Cœlicolas acquisivit, cuius fortè securissimus non fuisset, priore servatâ: siquidem ubi se privatum advertit, Toletum mox contendit, diluendis poenitidine præteritis actis, & eleemosynis profusè dilargiendis operam navatum, sicut in hujusmodi sacrorum operum exercitiis, cum non obscuris concessæ sibi supernæ gloriæ signis, vitâ sanctâ piissimè defunctus est. Commodissimum exin illi cessit, dum illo prius exueretur; quod alias indeclinabili fatorum lege dimittendum quandoque foret, séque certum alterius redderet, quod acquisitu quidem operosum, amissioni tamen obnoxium non esset. Videtur igitur Antonii Divi magnis meritis impetratum, beneficium illud, scilicet majora, pluraque, quām essent deperdita, recipiendi.

15. Unicum est in Antonio considerationis dignum altioris, occasione gestorum Sancii Regis, & Alphonsi fratris ejus, tantoque magis, quod, uti præfertur, res fuerit prægnans, maximique momenti, cùm unus regali folio, dignitatéque depositus, & pulsus esset, alter verò propter Cleri Lusitanici quiritationes continuas à Summo Pontifice censuris animadverteretur. Plurima negotiorum similium Romanum

mam tunc dirigebantur, cùm illic terrarum Antonius, opinione magnæ sanctitatis versaretur. Multi quoque per celebres tam Clericalis, quām Politici status in Aula Romana Lusitani degebant. Et quanquam utraque pars causam propriam, suum nimirum Reges Jus prætensum, adversarii vero conceptam semel mentium aversionem, & odium regimini illorum, mordicus tuerentur; non videbimus tamen Antonium ullo modo se litibus hujusmodi, tametsi maximè patriam concernerent, ingessisse, nec dissonum est à fide, partes litigantes, ut hæc illis occasio non dilaberetur, pro suo quamlibet evincendæ litis studio, vires omnes eō collimatæ, trahendi scilicet illius in suam sententiam, quandoquidem Vir tantus, alterutrius causæ multum ponderis afferre posset; ast tamen judicamus, Antonium forensibus his non attendisse, quippe sine curarum civilium diverticulis, animarum saluti, conversionique duntaxat intentum, iis exemplo singulari, notabilique dato, qui curæ licet satagant animarum, exiguo tamen operæ suæ pretio perfruuntur, quia facilius à ceptæ limite professionis devii, profanis quæstionibus distinentur, cum non patvo famæ virtutum, & æstimationis suæ decremento. Quod ipsum humani generis Redemptor, cùm tendiculam ei conteranei sui struerent, arbitrium illi, pendendi Cæsari, subtrahendive censūs committendo, non obscuris innuit, dum, exhibitâ sibi Principis imagine cum epigraphe pronunciavit, Cæsari, quæ sunt Cæsar, DEOque, quæ DEO debentur, esse tribuenda, quasi forenses strepitus ad se nihil, cuius officium esset humanam salutem procurare solum, & operari, quodque, qui simili munere fuissent onerati, vestigiis iisdem insistere deberent, quemadmodum Divus Antonius eadem, in rebus, & actionibus præponderosis, Regem, patriamque suam contingentibus, ad amissim est consecutus.

CAPUT XI.

S. Antonius rigidiorum observantiam Regula S. Patris Francisci strenue defendit.

ICUM appropinquaret annus Incarnationis Divinæ millesimus, ducentesimus, & trigesimus, recentes labores, majoraque pericula, quam forsitan alias unquam exantivavit, S. Antonium præstolata sunt, contendentibus cum illo Fratribus Ordinis, quibus vitæ rigor, quem S. Franciscus instituit, non multum erat cordi; sensim illo remittentibus, quem contra, Divus Antonius, ceu solidum Religionis Columen, conservari pervegetum, extremis viribus annitebatur. Multoties Pater Seraphicus veritus est, ne numerosa Fratrum multitudo, quam DEUS illi præmonstrarat, laxiorem Ordinis observantiam secum apportaret, unde vehementer anxium divina bonitas hoc lenimine securè solabatur, nempe quovis tempore futuros, qui curam Ordinis solicitam essent habituri, nec non alios inducendi, pauperiem, & asperiorem vivendi legem, ab illo constitutam, ut inviolatam amplectantur. Primus, quo DEUS promissum, Divo Francisco factum, opere complevit, erat Antonius, qui frequentibus Comitiis, hoc anno coactis Assisi, Fratri Eliæ restitit, ubi supra bis mille Fratrum numerati sunt, qui causâ sacri corporis Seraphici Sancti Patris in recens ejus nomini constructam, dicatamque Basilicam transferendi, congregabantur. Ibi tunc Frater Elias, velut rei totius cardinem emolitus, conatus est studium exactius Regulæ Sancti Francisci remittere, siveisque de statutis declinare. Literatus erat Elias, & callidus gratus eo nomine Principibus, & honoratus, cæterà parum admodum spiritus, Zelique præferebat, rerum politicarum gnior, atque solertior, quam sinceri candoris, in homine, sanctiori vitæ dedito requisiti.

Dicitus

Dictus Elias rigidam legem , à Francisco propositam, verbis elevando phaleratis, utpote minus commodam, multos Fratrum in suum pellexit errorem, contra Regulam, & Statuta, variis privilegiis ab Apostolica Sede clam extortis , quod Patres zelosiores , primique Socii Seraphici Patris altius in animum demiserunt. Et quamvis multi metu respe&ūs , & potentiae Fratris Eliæ , rem hanc silentio devorarent, nihilominus Antonius , ubi multis vicibus illum occulte, sed nequicquam admonuisset , resumpto tandem sancto virilitatis animo, se palam eidem opposuit , in faciem objecit, indignum eum esse Sancti Francisci discipulum , quod Evangelicâ vitâ , doctrinâque , quibus ceu fundamentis inniteretur Ordo, leviter deviaret. His Frater Elias , cum asseclis irritati , plurimis Beatum Patrem contumeliis , & injuriis afficiunt , importunum eum , & Ordinis esse dissipatorem conviciantur (solito cavillo , quo destructores hujus Religionis , illos dehonestabant , qui genuinæ puritatis conservationem affectu sincerissimo zelabantur) multis eapropter Antonius se persecutionibus , & incommodis objecit , adaugendis utique, nisi tempori , Summi Pontificis Gregorii Noni subsidium implorasset. quem ex ordine, totius rei certiore fecit , ad quæ sua Sanctitas extemplo Romam universalia Fratrum Comitia coegit, quibus ipsamet authoritate Pontificia præsedidit , auditâ Beati Patris actione justissimâ, solidis rationibus fulcitâ, nec non ex alia parte pensitatis elumbibus Fratris Eliæ deulsionibus , hunc Officio Generalis Ministri dejecit, mandavitque , successorem aptiorem ejus loco surrogari , contra laudibus extulit Divum Antonium , eidem Benedictionem Apostolicam impertiendo.

2. Plurimam laborum , periculorumque partem enumeravimus , quibuscum Sanctus Pater conflixit. Enimvero non potuit ejus inculpati moribus , vitæque tunc major impingi, quam ipse sufferret , ignominia : nam hæreticorum invidiâ

laborare, malitiæ flagitiorum, & sceleratorum obstinaciæ resistere, sunt ea masculi quidem roboris certamina, sed cum hostibus manifestis: attamen cum amicis, cum ejusdem professionis collegis conversari, nulli malo potest hoc æquiparari, quod ipsum sacræ paginæ variè proclamant, tolerandam facilius in juriam ab hostibus illatam, quam autem familiares, Fratres, & contubernales inferrent, cordis eam intimam perterebrare. Quem Mundus universus honoratissimum æstimarat maximi, iui contributes arroganter despiciunt. Destructor autem ille Seraphicæ Religionis, qui tamen illam velut immobilis columnam iustentat. Speculum, & idea veræ modestiæ qui fuit, & obedientiæ refractarius esse suis Præpositis, & inquietus Monachus diffamat. Eratque proximum, ut in carcerem conjiceretur, unde fugâ sibi fuit propiciendum. Quod Ezelinus barbarus non est ausus, hoc ipsum procaciter Frater Elias prætulpsit, in Summi Pontificis Gregorii conspectu mendacii Sanctum coarguendo. Hæc omnia contigerunt Antonio, cui quatuor Elementa, quibus omnibus potenter dominabatur, promptius obaudiebant; verum condecens erat, quandoquidem magnus hic Sanctus vestigiis insisteret Salvatoris, itidem suorum ut odium, & contemptum experiretur, quem alieni summè diligenter, & reverentur. Christus enim Servator noster pluries violentis illorum est manibus elapsus, furorique cessit, qui sibi maximis beneficiis devinstiti, necessariique fuissent, sicque quasi suam ad potentiam Divinam provocavit, ne malitiosum illi suum propositum exequerentur, quod humanæ Redemptioni nondum conduceret. Hoc imitatus est exemplum Antonius, dum potentiorum cavit manus, quibus ubi se præberet ulro, communibus Ordinis commodis obfuisset. Igitur ad Vicarii Christi confugit autoritatem, ut illius directione pristinum in statum Ordo Sancti Francisci restituatur, quod feliciter obtinuit, reductis asperioris cultus Statutis,

reviviscente quoque perfectionis Evangelicæ studio, cum maximo Fratrum ardentioris observantiæ solatio, nec non eximio resipiscentium fructu. Quos inter Frater Elias, qui dux erat aberrantum, ad Eremum se contulit, tantâ corporis ibidem afflictione se conficiendo, dignus ut fuerit habitus, quem etiam zelosissimi Fratres ad supremæ Præfecturæ munus optarent, postularéntque revehendum. Quod omne Divus Antonius irremissâ sua sedulitate recuperavit, quem Patronum, & exemplar sibi Religiosi proponant imitandum, & invocandum, si quandoque vel à Præpositis, vel Fratribus persecutiones injuriâ patiuntur, quod illorum conatus, ad alium quam rigidioris observantiæ finem directis non consentiant, hi suffragiis tunc Antonii Divi subnitantur, imitabili sibi præfixo constantiæ, virtutumq; Beati Patris exemplo.

3. Dimissis Comitiis, Ordinéque priorem ad frugem redacto, Papa Gregorius Nonus, cui nedum Antonii persona, verùm & motum ejus probatissimorum exempla, nec non multiplices illius doctrinâ producti fructus, perquam cogniti fuerunt, eidem mandavit, ut sepositis omnibus Præfecturarum, & aliorum Munerum Ordinis curis, solius animarum salutis concionando satageret, quòdve de cathedris perorâset, scriptis exciperet, quem in finem, aulam ei suam offert, quòd commodius utrique suam ibi possit operam impendere; verùm Antonius constantem Romæ mansionem submississimè deprecatus, rogavit Alvernæ montis Eremum, bonâ Pontificis veniâ, cum illa permutare sibi liceret, quod adeptus gratioſissimè, quamprimum eō proficiscitur, aliquot ibi mensibus commoratus, suavissimæ contemplationi cœlestium deditus, quæve de suggesto declamârat, præter alias paginæ sacræ subtiliores explanationes, litteris commendavit. Omnia verò, quæ tunc, alióve tempore compilavit, succinctâ designatione postea subsequentur,

4. Adverterat cacodæmon, senseratque fructum, & amplissimum lucrum Antonii Divi, quod omne sibi cedere videbat in maximum suarum rerum decrementum, siquidem insignis Ordinis reformatio, prætereaque tot animarum miliones ad Deum conversarum, totque sectariorum ad veram Fidei nostræ lucem reductorum, damnum erant immensum Acherontis. Cumque videret se suorum obsequiis ministrorum illi nullo deinceps esse posse nocumento, statuit occasione solitudinis hujus, congressu corporali Sanctum Patrem ipsem et incessere, vitaque spoliare.

5. Magnum hoc loco videtur errorem commisisse stygius ille persecutor, dum necem illi machinatur, qui morte mediante, plurimis hujus mundi miseriis eriperetur, in vicem recepta vitae melioris, & interminabilis usurâ. Quam igitur ob causam juratus, & capitalis hostis Antonii sumnum ejus bonum, & commodum promoveret? fuerit haud dubie prægnans aliqua Status ratio: nihil enim erat, quod in illa mente purissima posset hostilem spem ejus, & expectationem illectare, quandoquidem illâ subjugandâ, multoties turpiter se deceptum esse deprehendit, veritus insuper, ne pluries ipse superaretur, parum igitur curabat, quanquam Antonius mox Coelos conscenderet, dum hostis tam strenui, præpotentisque metu tandem Tartarus liberaretur, cuius incolumi vitâ, res tyranni gehennalis nunquam in tuto positæ, nec ullius prædæ pinguioris affulgere spes quandoque posset. Incompta planè Sanctitas Antonii! diabolus ut insuper habeat, si citius Antonius ad Superos transvehatur, licet eum odio persequatur internecino, dummodo molestias, quas Antonius ipsi facesserat, ejus absentia possit redimere. Verum ad narrationis, unde digressi sumus, semitam revertamur. Adoritur intempestâ nocte Beatum Patrem, damnatus ad inferos hostis, arreptâ gulâ spirandi facultatem interclusurus, jämque labiis extimis angustatus, hærebat animus,

mus, anxius inclamat pro viribus opem Sacratissimæ Mariæ Virginis (à puero sibi delectæ singularissimæ Patronæ) suis in extremis angoribus, morituris jam & hiulcis vocibus, Hymni parthenii verba molitur: *O Gloriofa Domina! cùm ecce!* Cœlorum adest Regina luce splendidissimâ circumfusa, suppetias venit suo Clienti, diabolum abigit, Antonium penè suffocatum liberat, unde recenti nomine se Cœlituum Imperatrici devinctum profitetur, nunquam non ejus purissimæ vitæ, potissimum autem ad æthera gloriosissimæ transvectionis, recolendis mysteriis dehinc occupatus.

6. Cum in hujus solennissimæ Festivitatis celebritate, sub Matutinis precibus recitandæ forent lectiones, quas aliqui, Di-
vo Hieronymo perperam affingunt, quibus dubium esse puta-
tur, num Virgo Beatissima fuerit animâ, corporeque Cœlis il-
lata? noluit his Antonius interesse, ne rem aliâs certissimò si-
bi persuasam, dubiam audire cogeretur, solito proinde suo cu-
bili se continet, precésque privatim continuat, adeò triun-
phantí Cœlicolarum Principi Virgini, tali factò gratificatus, ut
Ipsamet illum invisere non dignata, quæ Sanctus Pater cer-
tò crederet, illa doceret eum Magistra cœlestis, infallibili fi-
de tenenda, videlicet, utramque sui substantiam in æternæ
gloriæ folio collocatam, posséque citra dubietatem, hoc illum
è cathedra promulgare. Quapropter idem Ecclesia, recepta
consuetudine credendum proposuit, illisque sacrosancto Myste-
rio communia decrevit solennia, solidissimè supra tanti Filii
præcellentiam, tantæque merita Matris fundata. Quanquam
vero Sancti Patres, & Doctores concordi sententiâ pri em huic
adstipularentur veritatî, præclarissimum tamen Antonius me-
dium est, ejus nos reddendi certiores, quandoquidem ipse tan-
tæ Doctor profunditatis eam est tutatus, suis auditoribus, ut
famosissimus Concionator eam persuasit, sibi velut Sancto Vi-
ro, viâ revelationis communicatam. Sancta Mater Ecclesia,
Beati Patris Antonii tantis inducta testimoniis, exortas hujus

Mysterii disputationes, intactas deinceps, & indecisas reliquit, Imperatrix verò Cœlica non omisit dehinc, Beatum Patrem sæpius convenire, gratum ut animum ei redhiberet, pro zelo suæ dignitatis afferendæ, commonstrato: sicut Ildephonso Sancto præsentiam suam amabilissimam exhibuit, ob defensam ab illo nervis omnibus, intemeratae suæ Virginitatis puritatem. Ediderant ambo Doctores hi Sancti, suæ, quæ ferrentur in Matrem Virginem, specimina dilectionis, & quidem uterque modo singulari, diversoque: nam Ildephonsus attentiore pulchritudinis ejus incomparabilis consideratione; sed Antonius exactius pensitando præmium altissimum, tantæ congruum Genitrici, castissimos suos, & parthenios amores est contestatus. Insuper videri potuisset, amplissima Filii potestas diminuta nonnihil, si contentus, ad Cœlos assumptā dūntaxat una parte compositi tam excellentis, abjectam alteram in tumulo deseruisset. Rex Solimorum sapientissimus Salomon investigavit sagacissimè, non illam esse matrem infantis, quæ dimidiati parte pueri, quem ense Rex voluerat bipertiri, litem dirimi poposcit: illam verò genuinam infantis parentem esse prudentissimè collegit, quæ non nisi filium integrum postulasset; amoris igitur indicio materni veritatem Rex indagavit, pronunciavitque. Modo simili Beatus Pater Antonius, velut Salomon redivivus, per hoc Mysterium clariori ratione veritatem ejusdem elicuit, eam ex amore deducendo, quo Filius, qui suæ DEUS esset Genitrici, flagrabat, multoniùs acquieturus, nì totam, integerimānque Matrem secum in Cœlo retineret. Discipulus in hac doctrina fuit Filii, Matrisque, Magister verò noster Antonius.

CAPUT

C A P U T XII.

S. Antonius Padua Coronidem ponit suis Concionibus.

I. **E**LAPSIS aliquot mensibus, quibus Eremo suâ delituit Antonius, migravit Patavium, ibi commorando concionatus est diversis vicibus, desideratâ communiter ab omnibus illius instruzione salubri, cunctisque multum fuit honorabilis, procurantibus eodem tempore Patavinis necessaria, quod ibidem per dies quadragesimales esset permanens, appropinquante tunc anno supra millesimum, ducentesimumque, trigesimo primo.

2. Non connivis intuendum est oculis in Sancto nostro, quod, licet Olyssipone natus, ibidem ad usque septimum, & decimum annum educatus esset, postea Coimbricæ, peractâ penè juventute, vigesimum, sextumque contigisset annum, brevi tamen tempore, quo Divi Francisci Fratribus aggregatus, in Italia degebat, tantâ linguam illam apprehenderit facilitate, perfectioneque, minoribus ut impedimentis, uberioraque facundiâ, quam originarius aliquis Italus, idiomate dicto concionaretur. Notavit Abbas Tritemius hoc loco, sive verius, erravit, dum tantæ rem hanc putavit admirationis, ut sibi propè videretur impossibilitatem: hanc igitur ut symplegadem evitaret, quæ revera tamen erat expeditu facilis, alterius opinionis, non magis possibilis, se solum fecit auctorem, cum autumaret, Antonium, priusquam Sacratioris Instituti Statum amplecteretur, in Italia, Boloniæ, Pataviisque, Doctoris, & Lectoris officium subiisse, cuius doctrinâ multi suorum discipulorum estimationem Virorum eximiorum essent consecuti, quod paradoxum est magis, quam sententia probabilis, non solum historicæ dissonum veritati, sed fidem insuper excedit. Opponunt se Beati Patris anni pauculi Tritemio, quibus vixit, cum ante vigesimum, & sextum aetatis

annum (quemadmodum suprà docuimus) pedem extra Lusitaniam non posuerit ingressusque septimum , & vicenum , Habitum Minorum Fratrum induitus , Martyrii desiderio navigaverit in Africam ; quo verò , causis allatís superiùs , non obtento , sed in Hispaniam remeando ventorum intemperie diversum abreptus , in Siciliæ littoribus exscenderit . Haud anni spatium emensus est in Insula Sicula , priusquam Forumlium mitteretur , ubi talentum haetenus absconditum , rarosque prodigiosæ litteraturæ thesauros prodidit inopinatè , finitóque vix dum octavo , vigesimóque juventutis anno , vigenique noni primum ad introitum , Concionatorem eum excellentissimum , uti nuper ostensum est , audivimus admirabundi , populosisimo cum auditorum accursu per Italiam , sibi non viam antea , quām Religiosorum Ordinem se staretur , quāmque vidisse prius non potuit . Non igitur sufficienti Tritemius instrutus est testimonio , quo novitiam suam suspicionem solidare possit , ostendere conatus , fieri non posse , tam vivido , celerique Sanctus ut Antonius ingenio , tenacisque memoriam , tempore tam brevi , tantam rerum copiam comprehendisset . Eapropter in hoc hallucinatus est , ratus , miranda facinora , frumentaque , quem fecisset uberrimum , in se licet verissima , non undique tamen veritatis ea subsistere fulcimento , cùm excelleret Antonius adeò naturæ donis , ut non semper adjumento miraculorum opus esset : quandoquidem congenita virtute capit docile , brevi spatio temporis , aliquando plura , quod pinguius aliud cerebrum , vix annorum aliquot curriculis haurire potest . Propalam est ubique Beatum hunc Patrem in morem ardantis luminis , quod emoriturum , intensius lucem suam , quām initio diffundit , Patavii fuisse concionatum , cuius collecti fructus erant confertissimi , miram auditores monrum correctionem commonstrabant : exomologiæ sine numero profusis lachrymis frequentabantur , nec momento desistebat Antonius , inter tot exercitationes , omnibus proficuas , irre-
quie-

quietus, castigando suo corpore, peractis ut inediæ quadraginta diebus, tantum viribus esset enervatus, ut pedibus haud facile subsisteret.

3. Statuit propterea, recreando nonnihil confecto corpori, solumque divinis ut immorari vacaret, frequenti se populo subducere, vitamque degere solitariam, cuius obtainenda Provincialis consensum, & bonam veniam desiderabat: exarat ad hunc litteras, quas obsignatas in cubili reponit, adit Guardianum, rogatum tabellionem, qui perferret epistolium, quod directum esset, quam haud impetrat difficulter, quod commodum se tunc offerret quispiam, iter ad Provincialem Ministrum adornaturus. Cumque Sanctus ad conclave regrederetur, ubi litteras deposuerat, tametsi repetito, non sine sedulitate, sed nequicquam, requisitas, illas non reperit. Inde secum tacitus interpretatus, abnuens esse divini beneplaciti decretum, ne solum mutaret, totum se modestè DEI voluntati conformavit, quidquid illa sibi faciendum esse judicaret, id ipse paratissimus exequeretur. Sed enim mirum! disponuit benignissimè DEUS, ut eodem loco, brevi post Antonius, quo prius epistolas collocarat, responsum, & concessam demigrandi facultatem inveniret, unde Beatus Pater non inscitè conjectat, illas epistolas non humanis, sed Angelicis manibus ad destinatum locum perlatas esse, relatis ob id Altissimo tanti beneficii gratiis immortalibus, acceptâ licentiâ, sociis duobus, Fratre Rugerio, Lucaque, probatae, sanctae que vita Viris, comitibus, itineri se protinus accingit. Vidiimus antea, quod tenebrarum Angelus, Antonii virtute coactus, in illo fuerit eidem obsecutus, dum fugitivum, Davidicique codicis injustum detentorem, ad redditum, & restitutionem compelleret; hic vero cernimus, quemadmodum Angelus lucis, ministerium subeat libellionis, hinc & inde litteras obsequiosè perferendo, quorum utrumque suo non vacat mysterio, quando diabolus, imperio Sancti Patris, renitentes adi-

git ad virtutes : beatus autem Spiritus illa perpetravit , quæ serviant ejus consolationi.

4 Cum itaque pergeret Antonius ad propositam sibi solitudinem , retorto super Paduam obtutu (quam oculis corporeis deinceps aspecturus nunquam esset) pulcherrimam illius amplitudinem contemplatur , cui DEUS eodem momento notum fecit , illam sui corporis sepulturā , plurimumque variarum nationum frēquentiā , pro petendis , & acquirendis gratiis , m lto magis celebratum iri. Plurimum DEUS Antonii Sanctitati fidebat , quippe quem in humanis adhuc degentem illius gaudii , gloriæque fecerat certiorem , quibus , post excessum suum ē vivis , profundendus esset , citra periculum elationis vanæ , vitii sensim præcordia corripiens , ex hujusmodi secretorum participatione soliti pullulare.

5. Descendens Salvator noster Christus de Taborio monte , postquam suorum Discipulorum in oculis transformatus , divinam illis suam gloriam spectandam , quantum homini videre fas est , exhibuisset , mandavit illis , nemini , quoad ipse viveret , secretum hoc revelarent. Ut quid autem ? num fortassis Christus Dominus auram inanis gloriae , popularisque commendationis titillatum præverebatur , ubi sidereus ille splendor , quo cernebatur conspicuus propalaretur ? minimè gentium , quandoquidem nec hujus contagio , nec alterius esset obnoxius. Sed hac nos instituere voluit præcoce doctrinā , luem scilicet hanc ita diffimulanter hominem invadere , Christus ut ostenderet illius , adinstar aliorum hominum , se quasi periculum vitare. Quamobrem verò non etiam Antonio pestis hujus virulentia pertimetur ? idcirco , quod virtutes ejus tam altas fixerint radices , ut , tametsi malum hoc plerumque latè serperet , DEUS tamen securissimè sciret , hic minimè diffundendum. Unde præmonstrando piorum advenarum reverentiam , qua sacras ejus essent affecturi Reliquias , nihil erat periculi metuendum.

6. Quantò profundiore consideratione reputaverat Sanctus hic noster, illa DEO prodeuntia dona, non suis meritis exoriri, tanto submissiorem se magis habuit, amore ferventiore Numinis inflammatus, quod suos remuneraret tam profuse. Vocem igitur hilaris, internæ mentis dulcedine plenus, elevat devotè, versaque Civitati facie, prænunciat eidem paratas à DEO gloriam, & felicitatem, quæ verba comites quidem auribus percepérunt, absconditâ tamen illis horum causâ, mysterioque, quæ post excessum ejus tunc primùm effetus declaravit, ubi propter Reliquias hujus Sancti, Patavium inter omnes alias Europæ Civitates honoribus fuit exaltatum. Christus Dominus noster, dum aspiceret Hierosolymam, conditus eorum impendentibus internecinis malis illachrymatur; Antonius verò, cum Paduam respectaret, futuram illi prosperitatem vaticinatur, ut adeò Dominus noster, & Servator aspectus illius diversitate curam non perfundoriam commonstrârit, quâ charum Antonium hominibus redderet.

C A P U T XIII.

S. Antonius suavi dulcedine perfusus, moritur.

I. **T**andem summâ permulsus animi voluptate percepit Antonius, hac occasione nuncium sibi cœlitus allatum horæ propius instantis, ad interminabilem, beatamque vitam transmigrandi, quapropter unâ cum utroque suo socio, Patavio non procul in Ara Cœli, pauperculo quodam Clauistro Franciscanorum commorando, precibus instanter deditus, transitus sui negotium cum DEO pertractavit, ubi dierum aliquot internis cum DEO protractis colloquiis, in morbum incidit, paulò post sanctissimis nostræ Fidei Sacramentis provisus, quæ tali cum ardore, mentisque præparatione suscepit, quam ab aliquo posset Antonio quipiam expectare, quem Augustissima Virgo Domina nostra, cum Filio Sanctissimo suâ dignata est

præsentia, (a) quibus animam suam Antonius exhalavit, sexta feria, mensis Junii tertiam decimam, dum annus, ubi supra millesimus ducentesimus, & trigesimus primus curreret, sextumque cum trigesimo devolvisset ætatis annum, quindecim in ædibus paternis, undecim sub auspiciis Augustini Magni, decemque residuis annis in Ordine Divi Francisci peractis. Proloquium est divinæ Sapientiæ: *Justum, Deoque gratum hominem paucis annis multum temporis explere, Sap. 4.* quod Antonio non incongruè potest accommodari, qui licet triginta duntaxat, & sex annorum esset curriculum emensus, tot, tantisque tamen ejus meritis, & facinoribus comprehendendis, sufficere nemo possit.

2. Magni Macedonum Regis Alexandri statua lachrymas expressit Julio Cæsari Romanorum Imperatori, cum hic mente revolveret, Regem illum, brevi licet vixisset tempore, multa tamen, magnaque gloriösè perpetrâsse; ipse verò plurimum quidem annorum lustris Alexandro provectione, ista tamen, quæ confecisset ille minori temporis decursu, nondum attigisset. Extollunt Scriptores profani laudibus hanc Cæsaris invidiam, cum utriusque facinoribus heroicis, indignis tamen præconio singulari, quandoquidem ille Mundos plures suæ subjugandos potestati desideraret ardentissime, non tamen id adeptus sit, ut ne quidem cognitione minimam unius Mundi partem pertingeret, multò minùs illam Imperio suo subjugaret; alter verò tyrannide gravissima patriæ premeret libertatem. Malam per breve tempus uteisque vitam traduxit, quam pejus finierunt, quia non expectato communi mortalium excessu, mortem ambo violentis manibus illatam exceperunt. Et licet quandoque facinorum suorum memoriam aliquam homines consecuti sint, similem tamen flagitorum suorum recordationem post se reliquerunt, ut adeo gratis tot invidiae lachrymis Julius Cæsar Alexandrum, & hic perfunderet

Achil-

(a) *Obitus S. Antonii de Padua.*

Achillem. Mittamus Authores illos cum ethnicorum hominum æmulatione , déque zelo loquamur , qui Sanctos decet, vel eos , qui Sanctitatis in apicem enituntur. His zelosi pectoris calorem effigies Antonii concitârit, qui juvenis quidem rebus mortalium exemptus, amplissimum tamen, non humanaarum mentium tantum , sed & Elementorum , obaudientium sibi , reliquit Imperium : paucis annis exantlavit plura , sanctam vitam, morte sanctiore conclusit, cujus proinde memoria nunquam non in hominibus perennabit. Illi jure suarum paucitati virtutum illachrymentur, qui licet annis adultiores , meritorum tamen imbecillitate juvenes existunt , attento , quòd ille suis gestis heroicis , clarissimisque tantillois per annos sibi nominis conciliârit immortalitatem.

3. Eodem penè , quo beatissimus ejus spiritus momento corporeis vinculis exolutus est , ocyus Abbatem illum Vercellensem , suum olim Magistrum , & in paucis familiarem revisit , qui fortè tum non solùm ad studia litterarum incumbebat , verùm & anginâ graviter laborârat. Ad hunc viventis ingressus habitu , solitóque more salutatum affatus , ad patriam , ait , amice , meam pergo , dictisque , colli partem affectam manu tangendo restituit pristino vigori , forásque festinè regreditur. Erigitur in pedes Abbas quàm valuit celerimè , retenturus Antonium , phantasmatis ignarus , eumque sæpiùs in clamat : nullo verè respondente , cùm oculis Præfulis eruptus esset , famulos interrogat , num Fratrem Antonium vidi sent , conclave suum ingredientem ? hisque negantibus , ad Fratrum Conventum ablegat aliquem , sciscitatum , si forsitan ibi moraretur , qui refert , nullum ab Antonio , longiusculo tempore locorum istuc nuncium perlatum esse , constare tamen , illum Patavii commorari. Succurrere menti tum primùm Abbatis cœpit , liquisse vitam Antonium , quod ipsum ejus verba , queis in patriam abiturum

se dixerat, innuissent, cujus paucos post dies certius scripto-
tenus nuncium accepit.

4. Conati sunt Fratres Aræcæli, pro viribus Antonii de-
cessum occultare, popularem ut accursum præpedirent, sa-
crumque corpus sibi servare possent absque Paduanorum in-
terpellatione, quam præverebantur. Sed enim DEUS, qui
suum ad ingressum in Urbem Solymæam pueris hebræis glo-
riæ iuæ præconium commisit, eodem omnino modo pueris
suggescit, mandavitque, beatum Antonii transitum ad Su-
peros ut propalarent, quemadmodum pueruli Patavini, divi-
nus afflati, quod humanitus novisse non poterant, inspe-
ratò per urbis plateas velut cantillando promulgaverunt:
Mortuus est Sanctus, Sanctus mortuus est! Prima fuit hæc
inter Divos relati testatio, quâ Cœlum illi dignitatem bea-
titudinis decernere prævenit, dum disponeret, ut innocen-
tes parvuli, quorum ex ore veritas, & laus sinceriùs progre-
diuntur, Sanctum illum proclamarent. Quidam arbitrantur
hanc ob causam Antonium hoc solo nomine *Sandi*, per ex-
cellentiam quandam insignitum esse, quoniam quidem illo
verbulo *Sanctus* non minus inquirentibus innotescit, quâm
si proprio nomine designaretur, quo modo Patavii, perque
totam Italiam mos inolevit, ut dum quis absque nominis alterius additione se templum *Sandi* dicit aditum, mox in-
telligatur Antonii Divi Basilicam frequentare. Singularis
est certè prærogativa, tali solum aliquem titulo condecora-
ri, qui non minus in honoris divini cedere solet incremen-
tum.

5. Cæterum, ubi populus excitatus est hoc lessu puerili,
catervatim ad Aræcæli Monasterium accurrunt, Antonium
vitâ quidem functum inveniunt, tali tamen, tamque vividâ
corporis habitudine, dormientis, & viventis ut speciem ex-
primeret, membris flexilibus, mollibusque, facie tam pulchra,
vivacque, totam ut adhuc animam præsentem esse putares.
Non

Non explicari possunt lachrymæ , quas quilibet singillatim , universaliter sentit , doloréque profudit , quod omnibus hac morte communis Pater , poenitentium solamen , miraculorum Patrator , virtutumque Speculum eriperetur . Cùmque tandem sermo fieret ejus instituendæ sepulturæ , non parum intricata lis exoritur , Fratribus Aræcæli sibi sacri corporis ejus thesaurum afferentibus , dum contra Patavini sibi postularent illum adjudicari , durante per quinquiduum integrum hac contentionem , résque jam eò vergebatur , ut armis justitia litis committeretur , unde majus malum timebatur , utraque parte frequentibus , magnisque fautoribus stipatâ , multisque vicibus ad arma deventum esset , nisi Cœlis Antonius despiciendo , mediante Civitatis Rectore , tempori succurisset , qui sustollendis omnibus incommodis advolat , atque , postquam cum iis , qui de Regimine fuerant , super necessario medio subveniendi consultâsse , arrepto tumultu authori sub pœna capitis denunciari jussit , ut solo Patavino tantisper abstineret , quo de sepultura Sancti tractaretur . Post quæ , ab Episcopo jus pro Paduanis est dictum , quandoquidem Beatus Pater Antonius adhuc in vivis petierat , ut in Æde Divæ Virginis , Ordini suo commissâ conderetur , intra mænia Civitatis Patavinæ constructâ , quod etiam executioni mandatum est , sopito per id tumultu , nec non compositis dissidiis , omnium Ordinum institutâ solennissimâ pompa , qua Primarii quique , loculo ligneo Sancti cadaver impositum submissis humeris extulerunt , cum Hymnis , Canticisque Clero comitante . Populus confluxit innumerabilis , æstus insuper erat intensissimus , utpote Junii mensis octavo , decimoq; die celebratâ solennitate . Timebant eapropter Fratres , ne pædore cadaver , tabéque corriperetur ; contra tamen evenit in Antonio , siquidem odor suavissimus quaquam versum diffusus omnibus erat refocillationi præter hoc miraculum , alia plurima , tempore , quo terræ mandabatur , in multis ostenden-

do, dum omnigeni morbidi, contacto sarcophago, vel ubi multitudine populi præpedirentur, invocato duntaxat eminus Sancti nomine, suis calamitatibus, morbisque libabantur. Adnotaverat curiosius Author aliquis, quinque diebus illis, quibus cadaver Sancti manebat insepultum, propterea quod inter partes causâ sepulturæ non bene conveniret, durante dissensione, nullum prorsus miraculum, lite vero pertractata, Sanctum innumera patravisse, per hoc insinuando, docendoque, jurgiis, et si Religionis prætextu, vel teuerioris erga Sanctum Antonium affectionis, intercidi divinorum donorum, ac beneficiorum influxus, quandoquidem nostra DEO displicet æmulatio, quæ non ad regulam ejus imitandi dirigitur, & cui Zelus indiscretus, imprudensque devotione, quæ boni quandoque speciem præseferunt, potius sunt irritamento.

6. Ut primùm, non sine maxima lucta, laboreque, propter ineffabilem vulgi concursantis numerositatem, dicto superius Fano Corpus illatum est, Antistes Patavinus, Joannes Cacius Sacris solenniter litavit, quod quidem animæ purissimæ talis Antonii, majoris in augmentum gloriae cederet, non vero pro supplicii, si quod perpetiendum restaret, supplemento, quemadmodum aliis emortuis, pro noxatum residuarum expurgatione solet Ecclesia Mater parentare (b) Cumque peractis divinis, corpus esset sepulturæ tradendum (meminerunt veteriora Chronica) mirabili, divinóque modo fabrefacta tumbâ reperitur; favore DEI singularissimo, qui se testamentarium, & ultimæ voluntatis Antonii Divi velut executorem voluit exhibere.

7. Non infreenter DEUS Sanctis variis miraculosè sepulchra curavit apparari, quemadmodum in mari Sancto Clementi, Divæ Catharinæ super Sinai montis verticem, in

(b) Arca divinitus inventa, creditur à quatuor Coronatis elaborata, qui passi sunt sub Diocletiano. Radulph.

in Tagi profundo, Virginis Irenæ Lusitanæ mausoleum fieri jussit, quam Tyrannus aliquis Tomarii, Virginis patriæ, plexam capite Nabano flumine, medium eum locum interfecante, demersit, inde Cæsarem devolutam Tagus excepit, ubi thesaurus hic pretiosus reconditur, cui manibus Angelicis, è regione Santarenæ, sepulchrum in mediis vorticibus elaboratum est, unde fluvius hic cum vico, Scalabis antea dicto, postmodum Irenæ Virginis gratiâ, Santarena vocitato, per Lusitaniam maximè celebratus est. Perdurat in hanc diem prodigiosum illud monumentum, surrecta fluctibus altiore pyramide, depositi fundotenus pignoris indice. Septingentis annis, postquam Irenes pro Christo sanguinem, vitamque profudit, ad instantissimas, & efficacissimas fusas DEO preces Elisabethæ Divæ, Lusitanorum Reginæ, quæ desiderio visendi Sacrae Martyris conditorum tenebatur, modo certè mirabili, Tagus hiante alveo solitum suum cursum stitit, aditumque securum præbuit Reginæ, quæ comitibus hominum innumeris, incendendo per glaream, ad usque tumbam sacræ Virginis penetravit, ibique non sine tenerarum profluvio lachrymarum, omniumque stupore præsentium, ardentissima persolvit vota, regressusque cum comitibus Reginâ, prohibitum Tagus fluxum resumpsit. Quo permoti prodigo non pauci, Mundo valere jusso, suis loca sacra bonis dotarunt, quos inter Matrona primi nominis, quæ Reginam illuc deducebat, omnia sua DEO consecravit. Cujus dotationis instrumentum in Almosterensi Coenobio, prope Santarenam sito, præsentem in hunc diem afferatum, id pro minimo, quod nos hic æstimamus maximi, seriatim enarrat.

8. Ecquidem afferui, tanto DEUM familiarium suorum plures honore, gratiâque prosecutum esse, tumbas illis ut modo supernaturali præpararet; sed tamen diversâ cum Antonio ratione proceditur; siquidem, ut apparet, aliquotum

plerorūmque necessitas hoc extrema postulâsse videtur, quando vis barbara tyrannorum, gentiūmque, trucidatos illos privabat sepulturā : quo suum erga Sanctos exasperatum animum, & rabiem truculentius exatiarent. Deficientibus igitur, qui cadavera peremptorum curarent, divinæ solicitudini velut incumbebat, illorum, qui Nominis illius, & Fidei causâ vitam prodegissent, inferias adornare. Sed Antonius inter suorum manus, in medio Catholicorum, suorūmque familiarium, diem clausit supremum, unde cœlicæ provisionis non indigebat, aliàs multis præsentibus, qui promptius istud exhibuissent officii, si licuisset, ultrò se certatim ingerendo, proinde superflua videbatur Cœli providentia, dum humanæ curæ suppeditabant. Alterius autem, & rarioris id est generis, quod hic DEUS Antonio præstítit: quod enim aliis ideo solitus exhibuit, ne quis Omnipotentis Municientiæ suæ defectus notareretur, idem hic administravit, ut suæ satisfaceret voluntati. Martyrum ibi Sanctorum exigentiam, hic Magni Confessoris autoritatem, & splendorem attendebat: ibi defectum supplebat necessitatis, cùm nulli reperirentur, qui vellent, auderéntque tantundem oneris in se suscipere; dum autem hic omnes Antonii sepulturā solerter distinentur, voluit ibidem aliquo modo cooperari DEUS, quatenus hoc indicio cunctis æstimationem ejus, & familiaritatem, DEUM inter, & Antonium declararet.

9. Postquam paratâ cœlitus arcâ cadaver condiderunt, apparebat ocyùs in augustum ea conversa thronum, unde suam Antonius potentiam occipit, & munera liberaliter dispertitur, pristinam huic, incurabili depulso morbo sanitatem elargiendo, vitam alteri restituendo, quâ functus fuerat; omnibus, dum multifarias infirmitates, calamitatésque paterentur, suppetias eundo, solium verius ut gratiarum, quam tumulus appellari posset.

CAPUT

C A P U T X I V.

S. Antonius Sanctorum Catalogo adscribitur.

1. **T**antæ fuerunt multitudinis, & considerationis cæ gratiæ, quibus in dies, quin horis singulis homines fruebantur, ut permotus iis Gregorius Nonus, paucis post ex-cellum Sandi, mensibus, de negotio Canonizationis consultaret, quandoquidem super id, quod hominum famâ, promulgationeque jam factum esset, unicum adhuc restaret, ut auctoritate divina comprobaretur, dum omnes omnino Sanctum illum proclamarent, haberentque, suis in angoribus, certius ejus solamen, & auxilium experti.

2. Eapropter memorata sua Sanctitas, aucto superius Antistiti Patavino Joanni Cacio, duobusque Prælatis aliis, quorum unus ex Ordine Divi Patriarchæ Benedicti, Divi vero Dominici sectabatur alter Institutum, exactissimam hujus operis perardui demandat inquisitionem, & requisiti processus compilationem. Qui dum strenuam negotio navant operam, deprehendunt hominum testimonia miraculis innumerabilibus correspondere, quodque tunc indigenarum, convenarumque, diversi dialecti, qui Patavii reperiebantur, omnes penè, singulique Beati Patris hujus gratias, & beneficia vel propriæ personæ, vel suorum essent experimento consecuti.

3. Quantum è Summi Pontificis conjectare licet diplomaticate, non obscurum sua Sanctitas inculpabilium Antonii vitæ, morumque testimonium præbuit, quippe, quæ superius ostensis occasionibus, de Seraphicæ Religionis, aliisque magni momenti negotiis illi persæpe familiariter colloquebatur. Patavina Civitas, cuius plurimum intererat, maxime sollicita, pro rei maturatione solertissimè laborabat, expeditis hunc in finem, trium Ordinum, quibus statutus ejus Regi-

Regimen componitur, Legatis, ex Venerabili videlicet Cleto Canonicis duobus, Viris gravissimis, cum duobus Religiosis non inferioris aestimationis; Magistratus vero, quatuor ex Proceribus Equestres Viros, cum frequenti suorum necessariorum, famulorumque comitatu Romam ablegavit. His adjunxit suos Universitas Professores, atque Doctores, qui prolixâ, nervosaque Pontificem oratione totius negotii tenorem edocerent, eique ponderosis rationibus causas oculos ponerent, cur opus illud Canonizationis, impatiens esset moræ diuturnioris.

4. Commodum ex Purpuratis Patribus illo tempore duo Patavii versabantur, Otto videlicet Cardinalis Aleranus, oriundus domo Ferrarensi, Jacobus alter de Pecoraria, Prenestinus Episcopus, ex ordine Cisterciensium, quos Pontifex Gregorius conciliatum cum Cæsare Friderico Longobardos miserat, quo cum hi dissentiebant, Cæsar vero Pontificis amicitiam simulabat, ut hâc illos ratione sibi subjugaret. Omnia mutantur tempore, velut hic appareat manifestè: Fridericus enim is est, quem supra meminimus, Apostolicæ Sedis hostem fuisse capitalem. Ambo dicti Cardinales perspectis experientia propriâ prodigiis, quæ fiebant incessanter ad Antonii sepulchrum, præter illa, quæ fide dignis testibus percipiebant, Summum Pontificem per Legatos Panduanos scriptotenus certitudinis horum reddit securum, quâ DEUS Antonii Sanctimoniam luce clarius illustravit. Erat tunc Spoleti Pontifex, quando cum codicillo pervenerant ad Aulam Legati, quem protinus Cardinali Sabino, nec non Archiepiscopo Bisancio, cum aliis Præfulibus examinandum, discutiendumque commendavit. Pervolutâ processus disquisitione mandavit insuper Pontifex, ut quæ sufficienti testimonio probata, roboreturque fuissent, totius Clerici concione, populique frequentia de suggetto Cathedralis Ædis Spoletanæ publicè recitarentur, quod & factum, fuerintque

rūntque, quæ legebantur, omnia, singularis admirationis rara, magnāque prodigia, veluti quòd lumen cœci, surdi-que recepissent auditum, exemplò morbi convaluisse, ad vitam mortui resurrexisse, aliisque plurima prodigiosè per Antonium patrata fuissent. Ad quæ pars auditorum profusâ lachrymarum abundantia; pars verò sonoris vocibus Sanctum illum proclamârunt; Pontifex autem coacto quamprimum Pa-trum Senatu, Canonizationem ejus proposuit, vota verò, suffragiāque Patrum, ut aliàs fieri solitum est, non collegit, sed missis iis, aliisque consuetis circumstantiis, inter Divos illum collocavit, dūmque Chorus Hymnum *Te Deum laudamus* per-solvisset, Ipsamet sua Sanctitas Antiphonam, *O Doctor optime intonabat*, adjunctâ de Confessoribus Oratione, largitus libe-raliter Indulgentias iis, qui sacrum Antonii Divi Sepulchrum adirent venerabundi. Quibus omnibus multum addit roboris, dum ea quis notaverit, quæ subsequentur.

5. Pontifex Gregorius Nonus, sui Pontificatus annis, Al-bo Sanctorum, personas quatuor inseruit, Franciscum, Domini-cum, Elisabetham Hungariæ Reginam, & Antonium; tres quidem priores, exactis post obitum aliquot annorum curricu-lis, Antonium autem anno nondum expleto Sanctos inter an-numeravit, quod ex Bullis super hæc editis perspicue liquet. Priusquam etiam tres alios Catalogo Sanctorum adscriberet, semper præsentium Cardinalium, & Prælatorum consilium, sen-tentia, consensusque prærequirebatur, quod in Sancti nostri vidimus prætermissum sanctificatione, nulla suffragiorum ha-bitâ ratione, Bullis prætactis idipsum asseverantibus, quódque Pontificis hujus qui gesta conscriperant, ceu singulari dignum obseruatione notaverunt, quæ si solius asscriperimus Papæ vo-luntati, sublato quidem dubio, res tamen, quæ mysterio va-care non videbatur, manebit imperfector, velut exotica, vix ullo quopiam exemplo simili præcedente. Dūmque Chro-nici temporum illorum rem hanc ceu peregrinam animadver-

tunt, operæ pretium est, solidius ut huic eruamus fundamen-tum.

6. Supponitur igitur ut certissimum Summi Pontificis esse, vel sua solius authoritate, vel cum assistentia plurium, ad libitum assumptorum, illos, quos hoc dignos honore judicat, Sanctos denominare. Secura simul, & irrefutabilis est sententia, quæ docet, nullis illum externis compelli legibus, ut majori parti suffragiorum adstipuletur, licet in arduis maximè negotiis requisitorum, quia solum interius voluntatis dictamen hanc illi facultatem subministrare potest. Posito proin hoc, ut receptissimo, suis opus tale, quo cunque tandem illud Pontifex perficiat modo, viribus subsistere; devota, sive curiosa suboritur alia quæstio, vel animadversio, quâ desideraret quis instrui, cur Papa Gregorius Nonus, dum tres alios cætu Cœlicolarum annumeraret, usus omnino simili methodo Cardinalium, Præsulūmque præsentium sensa, votaque coegerit, contra, cum Antonio dispare se prorsus habuerit ratione, tan-tique momenti rem, sine cuiusvis assensu, suffragioque declararârit? Ad hæc Doctores, dum tractant de Canonizatione Sanctorum, quomodo nimirum ea sit instituenda, rem adducunt, quæ possit affatim diluendæ quæstioni respondere.

7. Quando, dicunt, illorum inter Sanctos insertio proponitur assumenda, quorum scilicet heroinis virtutibus, facinoribusque præclaris, & inculpati moribus inniti securè possumus, non tantis opus est circumstantiis, nec indiget ea res inquisitione tam curiosâ, quemadmodum aliorum, praterquam quod Pontifex Sanctum non efficiat, bene tamen pronunciet, & declaret illum, qui Sanctus est, ut in terris talem homines agnoscant, & venerentur. Et quando Cœlum prius, postque talium excessum (utpote cum Antonio factitatum est) prodigiis publicam hujusmodi prævenit Pontificis enunciationem, solicitudinem, ajunt, tam accuratam minimè necessariam esse, quandoquidem DEUS ipsemet hujus nos Sanctimoniacæ facit cer-

tiores. Hanc igitur ob causam Christi Vicarius supervacuum esse duxit, virtutes celeberrimas, Cœli testimonio per miracula jam comprobatas, terrisque promulgatas, velut Antonii Divi gesta, consensu suffragiorum ulterius perscrutari, sed solam supremi capitum, & Pastoris autoritatem superesse, quæ debeat huic actui manum ultimam adhibere, qui Spoleti denique, reliquis omnibus intermissis, perfectus est, quandoquidem Antonium Pontifex talem esse, qualis erat revera, probè cognovit.

8. Cœdit hæc responsio quidem in majorem Sancti nostri splendorem, & decus, nec non singulare devotis illi solarium adfert; attamen videri posset, hoc non illi solum adæquari, si quidem non minus eadem motiva, rationesque contra Sanctos duos militant Patriarchas Franciscum, & Dominicum tantæ Viros Sanctimoniarum, cunctorum ut Oratorum eloquentiam hæc, troposque Rhetoricos multis parafangis præcedat: etenim, quocunque velis modo considerentur, semper excellentissimos fuisse deprehendes. Non poterunt itaque propositæ primùm rationes Antonio soli tribui; sed tribus illis, aliisque Sanctorum pluribus accommodabuntur, quippe quæ tanto jure Diuina Hungarorum Reginæ Elisabethæ sint applicandæ, quæ magna fuit Regiæ dignitate, coronaque, majori tamen splendore virtutum heroicarum enituit, non minori digna veneratione.

9. Citra priorum repetitionem, strictim huic oppositioni responderi potest: in Ecclesia super æthera triumphante, præmia secundum exigentiam meritorum dispensari, quandoquidem hæc DEUS exactissimè pensitat, illa vero justissimè dispertitur, militans autem in terris Ecclesia, fundando suum instinctum interiore super operibus externis, quemlibet juxta qualitatem operum, absque præjudicio cuiusvis, intuitu donorum, & gratiarum, quibus hic, vel ille Sanctus effectu visibili præfulget, differenter possit revereri. Sanctus noster excelluit prærogativâ miraculorum patrandorum, quem

Ecclesia pro tali venerata, prodigiáque cognovit esse medium aptissimum, arctissimam cum DEO necessitudinem ejus efficacias intimandi, cui proinde fama, noménque Sanctitatis, quam opere possideret, in terris, absque scrutinio diligentiore meritò deberetur, quod singulare fuit privilegium, Sanctorum aliorum ne minimum derogans prærogativis, quin potius eæ persistunt inconcussæ, nihilominus inde summi cultus, & reverentia dignissimorum. Gaudio Seraphicus Pater eapropter exultabit, cui, testantibus divinis eloquiis, honor filii, gloriæ fit singulari: non minori lætitia Magnus Patriarcha Dominicus cumulabitur, velut Antonii Frater, causâ prioris habitus, & Instituti, cùm uterque legibus Canoniconrum Regularium aliquot annorum curriculis, sub auspiciis Augustini Sancti mereret, uterque sextâ feriâ, diversis quidem annis, cum æternitate beata mortalem vitam commutârit.

C A P U T X V .

S. Antonii Mors, & Canonizatio variis à DEO illustratur Miraculis.

I. **R**Ara sunt hæc omnia, Sancto nostro specialiter collata.
 (a) Sed ut Canonizationis ejus seriem, absque multis ambagibus pertexamus, aliud nobis multò mirabilius occurrit: eodem etenim ipso momento, quo Spoleti Sanctitatis Antonio titulus decernebatur, Olyssippone Sancti nostri Patriâ, mirum! omnes campanæ, nullo trahente, vi supernaturali motæ personant, magno vulgi jubilo, quod gaudii latente causâ templis approparet, nemine reperto, qui moveret æra, gaudio, stuporeque pleni, se contuentur mutuò dubii, quidnam res hæc insolita portenderet, uitque temporis aliquanto suspensi permanerunt, nuncium tandem affertur, Antonium die proritus

(a) Olyssippone sponte campanæ sonant.

sus eadem , & horā , Divorum aggregatum esse Choro , quæ tempori corresponderet , quo Civium Lisabonensium alacritate communi , campanæ festivo sono gaudium hoc præmonstraverunt . Superius pridem exhibitum est , qualiter DEUS incompertam Antonii sanctitudinem hilari propularium , atque diffuso quaquà versùm præconio promulgare nunquam non annis sit , tanto majoris ut ab omnibus is æstimaretur , quod hoc loco non obscurè patet : cùm enim plures per Italiā hujusmodi rumores ad illius Canonizationem percrebrescerent , effecit Optimus DEUS , ut Olyssippone , Lusitaniæ populofissima Civitate , mediante tot campanarum sonitu prodigioso , famâ clariore divulgaretur . *Exod. 20.* Multus , clarusque fuit clangor tubarum , & fragor tonitruum , fulgurumque , dum in Sinai famoso monte , DEUS Israëlitico populo se cognoscendum præberet , nullā tamen lætitiā , nec aliqua suavitate subsecuta , sed magis horrore , fastidiisque concutiente : teriti namque mortis metu , stabant eminus DEUM audituri , cùm contra , gratiam hanc Sancto nostro contulerit , strepitus ut ille , cœlitus illius manifestandi causâ concitatus , omnium ferax esset hilaritatis .

2. Acciderunt hæc Olyssippone , post S. Patris excessum . Sed enim casus illo tempore Patavii cum hæreticis aliquibus contigit rarissimus , qui prodigia , quæ Sanctus ad suum sepulchrum operabatur , sannis explodebant , horum ut fidem eriperent populo , talem commenti sunt astum , scilicet illorum aliquis ut cæcitatem ementiretur , miserè quiritus , oculos ab hostibus erutos sibi , fraudéque callidiūs tegenda , siquidem ut securiorem adstrueret , sanguinolentiam oculis sindonem superilligavit , manu sociorum traetus ad Sancti mausoleum , qui vocibus elatis rogitant circumstantes , velint ii conjunctis juvare precibus , ut Sanctus huic misero postliminiō lumina reponat .

3. Hoc autem intenderant perfidi fraudulentio suo consilio, nimirum, ut qui se captum simulabat oculis, idem quod reapse non erat, pro vero miraculo tunc deprædicaret, quatenus detecta fraude, persuaderent populo, reliqua miracula simili modo fraudulenter perpetrari. Cum igitur horam integrum fictis precibus pro recuperandis oculis transegissent, inimicus ille cæcus alta sucllamare voce: Miraculum! miraculum! Sanctus restituit oculos effosso; accurunt quamprimum complices, religataque sindone, vident oculum utrumque, suis evulsum sedibus nequissimi veteratoris, eidem adhærere panniculo, tantus ad hæc terror sceleratæ fraudis machinatores invasit, hanc ut fassi publicè, poenitudine compuneti, profusisque sincerè lachrymis, & ardente prece, Divi Patris Antonii meritis, & intercessione, socio corporeos oculos, ac præter hoc reliquis hujus gravissimi flagitiis conciliis interna mentis lumina recuperarint, cum agnoscerent indubitatem fidei nostræ veritatem, & Antonii Sanctimoniam, qui nedum serio subtractum sibi cultum debitum zelatur, contra, se totum erroris præsumptuosi noxiam dimitenda facilem ostendit; sed insuper plura, quam abstulit, liberaliter, & gratiosè refundit, dum præter oculos exteriores cæco prodigiis restitutos, lumen aliud, quod magis animarum salutem concerneret, homini redhiberet interiori.

4. Huic non absimile miraculum expertus est homo leprosus conspersus, is cum singulares inaudiisset sanitatum gratias, quæ conferrentur illis ab Antonio Sancto, qui bustum ejus, causâ devotionis adiissent, Patavium se duci curavit, promundicie rogatum, obvium habet in via militem aliquem, antiquâ sibi notum familiaritate, sed hæreticum, hic, quonam alter tendat, sciscitur, huc tam foeda conspurcatus, ad tumbam, ait leprosus, Antonii Divi pergo, perniciem hanc ut ille propitius abstergat, quemadmodum aliis multis opitulatus est. Cachinnatus miles cum sanna respondet, itane tu quoque

quoque tam stultus, stolidusque, fabulis ut hujusmodi fidem præbeas, impedio magno, majoribusque viarum incommodis domo decedas? quin protinus infane regrederis? prius enim tua me corripiat lepra, quam illâ tu libereris; per quod voluit ejus impossibilitatem depellendæ perfidus insinuare: spreto nihilominus recordis responso militis, cæpto pergit præfidenter leprosus itinere, tandem ad sancti tumbam appellit, ubi persolutis non absque pia lachrymarum profusione precibus obdormiscit aliquamdiu, dum Antonius ei se visu præsentem exhibet, blandéque solatur, ex morbo fore promittit, ut convalescat, surgeret, militem illum inquisitum, grallas ei suas ferret, quibus miser indigeat, quippe quem illius, ut optaverat, lepra respersisset. Expergefactus, ubi se pristinæ restitutum advertit valetudini, summis Antonio relatis gratiis, ad locum, quô reliquerat prius hæreticum, contendit, quem toto corpore turpissimâ percussum leprâ reperit, illique propinquando, mansuetis infit verbis: me misit, amice, Divus Antonius, grallas ut ad te meas perferrem, quarum ego, bene validus, deinceps non egeo, tibi verò faniè referto pernecessarias. Intuitus ad hæc miles pertinaciùs, illusum à se prius amicum suum, leprâ purgatissimum advertit, in vicem verò se purulentiâ pestiferâ scatentem, horret eapropter, tremisque vehementer, apertis adeo mentis oculis eo medio, veram ut fidem nostram amplexatus, & professus hæreticam mox persuasionem abjuraret, Sanctoque deinceps nullo non tempore se devotissimum fore sponderet, cum noxarum commissarum sensu penitissimo, zeloque tam fervido, seriisque, Sanctus ut Antonius à DEO precibus obtinuerit, ut mens ejus flagitorum sordibus depuraretur, ac præterea corpus abominanda tabitudine redderetur evacuatum. Plus huic profuit Stratigi lepra, quam integra valetudo, quem hæc ad interitum deduxisset, illa verò vitæ causam ei præbebat. Tanti sunt moliminis, & efficaciam castigationes, quas fortis suâ dextrâ Sanctus

Etus Antonius inflxit, quas si demiserimus in animum altius, felicioris ille se fortis reputabit, qui talibus dignus habitus fuerit preferendis.

5. (b) Non alia de re tractabatur hoc tempore, sermonesque Patavii miscebantur alii, quam de miraculis, quae Sanctus Antonius ad conditorum suum operabatur. Quibus adnumerandum, quod miles aliquis, in speciem potius, nominemque tenus, quam ipsa re Romanæ Fidei cultor, in taberna mercatoriâ diversus ex itinere, cum audisset celebriorâ quamque Sancti Prodigia narrari, mente prorsus efferata dejaverit, aetate se proiectorem esse, quam ut fabulis attenderet animalibus, qualia dicebat esse, quae de Sancto recensebantur, tunc ea veritate, fidique fore digna, si patera vitrea, quam epotam forte tenebat manu, silicibus illisa non rumperetur, haec effatus, projicit furibundus vitrum è fenestra, sannis his additis: conserva, si potis es Antoni, ne vas hoc disjiciatur. Mira res dictu! non tantum cyathus non dissipavit, quin immo falcam comminuit, cui super injectus est, non secus ac ponderoso malleo contusam. Excellenti confusus hoc miraculo ferus homo, territusque pergit, iliæsum ut Venerabundus vitrum terrâ sustollat, effecitque casus ille, cum interno mentis instinctu tantum, ut mox in hominem verè Catholicum mutatus, Divum Antonium multis deinceps honoribus veneraretur, operaque tornali thecam curaret fabricari, quam pateram ad instar sacrarum Reliquiarum conditam secum portabat.

6. Cum miles hic Urbem Patavinam obambularet, obvium illi se praebuit notorum aliquis ejusdem professionis, attamen sestatius: mox praemissa salute, sermonem de Divi Patris Antonii miraculis ordiuntur, narrat alter alii, quae si bi contigissent, profertque narrationis testem pateram vitream, cui protinus alter pertinaciâ presumptuosâ regerendo, num, inquit,

(b) Alardinus miles ex Salva terra, Toffin.

inquit, & tu delirus, aures patefacis inanibus figmentis? omnia, quæ loqueris, fabellæ sunt, quibus tunc fidem adhibeo, cùm calamentum hoc (quod aridum, emortuūmque casu pedibus transeuntium obversabatur) botros produxerit, quibus expressō vinō cyathum tu tuum adimpleas. Miram DEI potentiam, ejusque gloriam Sanctorum! vix verba vēcōs proloquitur, cùm ecce! surculus illō virescere momentō, progemmare subitō, protrudere citius ocellos, uvas exhibere, multorum in præsentia brevi mātūrēscentes, ut exprimi potuerint botriones, succūsque deponi. Quis non hīc obstupescendō permōveatur miraculō? quēmve non horrore, tremorēque vis magna concutiat Patratoris hujus? Enimverò contigit id ipsum huic bellatori, qui prioris exemplo, mutatā Religione deditōnem fecit. Sancti sepulchrū adit uterque, quīque prius infidelissimi fuerunt, vim inibi prodigiosæ virtutis ejus deprædicant, unde tantō prædicti fortunā feliciori putari possunt, quibus obstinacia propria causam præbuit optatisimæ salutis. Nisi Domini mei sacratis in manib⁹, ait Divus Thomas Apostolus, clavorum intuear cicatrices, eorūmque foraminib⁹ digitos infigam meos, sacrīque lateris fissuræ dexteram immittam, non credam: quō certè felix obtinuit, ut opere, quid credere renuit, potuerit persentire, coactūsque tandem, experimentō tam manifestō manus dederit captivandas. Idcirco prærogativam hanc attulit infidelitas illi velut Apostolo Christi, clavorum scilicet stigmatibus, laterīque divino digitos, & manus imponendi, militibus autem istis, interventu meritorum Antonii Sancti, gratia resipiscentiæ condonatur. Fuitque credendi pertinacia velut instrumentum illis, ut summa felicitate, veritatis ad agitacionem pervenirent, dum Fidem Orthodoxam, & magnam Antonii Sanctitatem, ad sacram ejus tumbam prostrati celebrarent, atque proclaimarent.

7. Exhalat conditorum hoc, ut Maris in dialogis in-

nuit historiæ Lusitaniæ , suavissimum odorem , hæreticorum , aut infidelium nulli , tametsi tumbæ proximè conjunctorum , sed solis Orthodoxis perfruendum : enim verò res admiranda prorsus , quam author dictus ipse comprobat , aitque , se periculum hujus ad Sancti sepulchrum fecisse , remque verissimam deprehendisse . O Sanctum ! certè cui vix conferendus alias , cujus vel cineres humanam promovere beatitudinem contendunt , fidei certitudinem suâ fragrantia velut depraedicant , errores autem sectariorum subigunt , & confundunt .

8. Multi Codices non sufficiunt , iis miraculis omnibus conscribendis , quæ sine numero post beatum suum obitum huc usque , præsertim magnô Civitatis Patavinæ commodo perpetravit , quorum omnium , locum non infimum obtinet , quod famosam eam Urbem sub Octava suæ festæ Solennitatis , tyrannide liberârit , quâ gravissimâ premebat eam Ezelinus . Præmissa sunt nuper prolixius , quæ Sanctum inter , cum in vivis degeret , & Ezelinum contigerunt , cujus furorem crudelissimum , rabiémque , severâ reprehensione , vultusque splendidissima majestate , quæ terribilis erat Ezelino , perdonavit . Qui , tametsi Sancto Patre vivente , congenitam efferatæ mentis crudelitatem circumscriperit aliquantò , frenoque veluti coercuerit , ut primùm tamen diem suum expleuisse Sanctum rescivit , pristinis flagitiisæ vitæ resumptis moribus , denuò nefandâ trucitate cœpit in homines grañari , Patavium obsidione cinxit , Anselmum , suum è sotore neptem , sevitâ sibi persimillimum secum in Urbem introduxit , cum eodem in cives , & accolas omnis generis truculentia debacchatus .

9. Rerum sacrarum tunc habendas moderabatur Alexander IV. hujus Pronominis . Hic paterni pectoris tactus commiseratione , tenerrimo sensu calamitatum , quas Urbs Paduana cum Reliquis per Italiam locis perpetiebatur , Ravenna-
tum

tum Archiepiscopum cum potestate Legati Venetias expediti vit, de mediis congruis huic malo tractaturum; Paduæ vero, malum ubi gravius insolescet, ad Sancti tumulum irremissis, ferventissimisque precibus contendebatur, extremis ut Antonius miseriis mederetur. Vota calentia Sanctus non surdis admisit auribus, emissaque de mausoleo voce non obscurâ, certam promisit liberationem, durante proximæ suæ festivitatis Octavâ subsecuturam; effectu vero promissio non caruit, siquidem assignato tempore res ita succedebat, Anselmus ut occulta vi pulsus, Urbe decedendo militem secum abduceret, omni sublatâ præsidiariorum molestiâ, sed Ezelinus tyrannus, amissô multò milite, famaque, Patavinæ Civitatis agrum omnem, solùmque mutaret, eodem ipsomet, quem vivum vehementer horrebat, in turpem utrumque fugam conjiciente.

10. Cæterum quia Respublica Patavina tanto se cognoverat devinctam beneficio, Senatus Consulto statuit eadem, perpetuis dehinc temporibus dies ut illa suæ liberationis, candido notanda calculo, non minus, quam ipsæ, Natalitiæ feriæ solennissimè celebraretur, Sanctusque Pater Antonius, æternum Patroni, Protectorisque titulo coleretur, eundem in finem Arâ majori, Basilicæ Cathedralis, ejus nomini consecratâ. Stupendis hæc Antonius prodigiis effecit, quorum pars optima præstata Civitati, quam & præsentem in diem innumeris condecorat gratiis, eo quod ejus sacri cineres ibidem honorificè recondantur, quem Vivum etiam sepissimè potissimum ultimâ, suum excessum præcedente Quadragesimâ, cum ibidem concionaretur, vulgus Antonium Patavinum indigitavit, Lusitanum, & ejus Regni Metropoli Lifabona licet oriundum.

11. Ast tamen, quantò majoribus Paduani beneficiis ab Antonio cumulabantur, tantò majus illorum devotione capiebat incrementum, cuius gratiâ novam ejus honori Basilicam

construere cogitârunt. Tantis ardebat opus hoc incitamentis, ut calenti suo proposito, præcellentem aliquam moliendi fabricam , id asscuti sint Patavini , materialibus ut splendissimis , lucidissimisque lapidibus , intrinsecus præterius , stellarum interpositis simulacris, artificio tanto, perficeretur, magis ut æthera sideribus illustratum, quam structuram aliquam terream referret. Et quando prior aliquis calamus elegantissimam hanc molem stylo digessit eleganter, superfluum esse putavi , semel jam dicta regerere ; novisse sufficiat, artem cum opibus vires suas possibiles contulisse, devotionemque versus hunc Sanctum frequentissimis auctam miraculis , in tantum, ut Fanum hoc , per Europam propè celeberrimum , pulcherrimumque, referendarum vice gratiarum , sumptuosissime fuerit exædificatum , quod omnibus ex Mundi partibus in dies homines frequentant, quodque Magnates, & Principes profusè congiariis ditant, adornantque.

12. Inter hæc elucet præcipue , quod Marchio Franciscus de Melo , causâ magni sibi beneficii collati , misit donativum (cujus auspiciis, protectioneque primùm hæc Epitome lucem aspexit) dum nimirum Sanctus, mari mediterraneo navigantem illum, terribilis tempestatis , nec non interitus periculo præsentissimo mirum in modum eripuit. Est hoc donarium, triremis argento fabrefacta, similis prototypo , navique , quam maris tumentibus procellis jactatus , submersione surreptus est , tanti ponderis , quod conditionis, professionisque dignitatem talis Largitoris insigniter addecet, cuius laternæ , lampas ardens est infixæ. Locum occupat donum hoc in Delubro Sancti præcipuum , intu tu nimirum ponderis, artisque ; sed potissimum Datoris nobilissimi, sepulcro Sancti superimpendens , Aram propè, quæ circumiri potest , ubi funale nullum ardet , huic , operis elegantiâ , vel splendoris claritudine conferendum. Marchio præmema-

moratus huic argenteæ triremi , luminique perpetuum conservandis , sat ample de redditu prospexit .

13. Gentiles veteres navem , quam Argum nominabant , cultu singulari venerabantur ; hanc fingeabant ad sidera sublatam , stellæ naturam induisse , nautarumque perpetuam in memoriam , & periculorum , quæ navigando fortiter exallassent , perennem recordationem indidem relucere . Fabulæ sunt hæc prisæ gentilitatis ; ait tamen hic reapse veritas comprobatur , quandoquidem dicta navis argentea , tam excellentis Herois , ejusque laborum immortali nomini de prædicando , mutata fuit in lucernam , & velut ad Cœlum (quod sacrarium , & tumba Beati Patris Antonii referre potest) transposita , restâ super tumulum dependens , adinstar lucidissimi sideris exsplendescit . Ut verò triremis ista cum ardente lychno , jugis memoriae testis nunquam non perduraret , Conventus Franciscanorum , seu Minoritarum , quibus hujus celeberrimi , famosissimique Templi cura semper incumbit , ad hujus conservationem Instrumento se publico devinxit . Hujusmodi verò symbola nedum Patavii , sed in Regno Neapolitano reliquit laudabiliter , idem Marchio Melenlis honori Divi P. Antonii , similem ob causam : cùm etenim is Regnum illud navigio peteret , insperatæ procellæ furiosis assaultibus , præsentissimam interitionis ita subiit necessitatem , ut de subsidiis humanis propè conclamatum esset , versus igitur ad Antonium Sanctum , hunc invocat denissimè , velit auxilium extemporarium subministrare . Præstò mox est Antonius , Marchioni succurrit , qui propter id Sancto se gratum exhibuit : cùm enim exscendisset Cajetæ , Sacellum lucidis materialibus , è fundamentis extruxit , in quo posuit Sancti Patris imaginem , immortalium gratiarum monumentum .

14. Eodem spatio , locoque , cui Sacellum hoc est inædificatum , & quo viratum Monasterii Sancti Francisci continetur ,

netur, evenit illa memorabilis historia, quam gestorum nobis Seraphici Patris recenset Commentarius, quando venerei sensus pruritus expugnaturus Beatus Pater, nudatum corpus preto volutavit, unde praesentem in diem advertitur ad instar miraculi, vespes, qui primis, quos Seraphicus artuum contigit volutatione, pullularunt, reliquis esse dissimiles, qui genuinis horrent aculeis, inermes autem hi, totique blandi sunt: naturam videntur suam emendasse, Seraphici Christo crucifixi Patris adfrictu, feramque suam indolem cum placidore commutasse, quod propter manifestam Virorum principiorum experientiam, multorum fide dignorum subscriptione comprobatur.

C A P U T XVI.

De solenni Translatione S. Antonii.

I. **T**riginta paulò plūs post aristas, ab Antonii felicissimo transitu, Virginei Partū anno tertio, sexagesimōque supra duodecies centesimum, Dominica die, mensis Aprilis verò vigesimā nonā, dum Octava glorioissimae Resurrectionis celebraretur, transportata sunt ejus ossa sacra solenniter ad spectatissimam Basilikam, recenter ejus honori constructam, cui celeberrimae Translationi Guido Cardinali Bononiensis, per Italiam Apostolicus Legatus interfuit. Sanctus Bonaventura, tunc Ordinis Franciscani Minister Generalis, thecam, quā sacræ Reliquiæ condebantur, reclusit, exesis carie repertis totius corporis partibus, exceptâ duntaxat lingua, quæ tanti vigoris, & rubicunda videbatur, viventis ut hominis esse putares, quam manu sublatam, tenerissimis pietatis cum lachrymis aliquamdiu veneratus, infixis ardenti devotionis affectu basiis, summâ reverentiâ verbis eam talibus extulit: *O Lingua benedicta, quæ Dominum semper benedixisti,*

¶ alios benedicere fecisti, nunc apparet manifestè, quanti meriti apud Deum extitisti.

2. (a) Divinis Oraculis prohibemur, mortalium neminem ut viventem laudibus celebremus, nedum ut periculum amoveatur, cui sunt homines obnoxii, bono desistendi, sed etiam quia DEUS (qui Doctorum aliquorum, & excellentiū Interpretum judicio, non amat, ut suorum honor, & encomia mortalis vitæ brevitate tantummodo coercentur) suspendendis humanis laudibus id intendit, ut post Sanctorum excessum aliquot centenos in annos, inter homines eae cum augmento protrahantur. Respondit huic DEI, quā fertur in suos, intensæ charitati, reciprocā noster Antonius dilectione, dum toto vitæ suæ cursu tantum in id incumbet, quo modo DEUM Conditorem suum, & Restauratorem indefessè laudaret, revereretur, atque deprædicaret; quia verò pauculos vixit annos, ut ostensum est, Antonii lingua propter id incorrupta permanxit, ut hac ratione DEUM perpetim laudaret, & veneraretur, hōcque DEI præconium, & revertentia, quæ vitâ velociùs decurrente, nequiiit ulteriùs promovere, sic ævis omnibus perdurarent.

3. Vase crystallino sacrata Lingua, seu verius, divinum tot ostensorum Instrumentum hoc asservatur, quam cum Generalis aliquis Ordinis afferre clam, aliisque transferre conaretur, nec januam reperire, nec loco reponere potuit, unde sustulerat. Igitur furtivè, ne quispiam notaret, eam in Altari quodam abscondit, ubi pluribus annis nemini cognita delituit, quoisque Sancto retegere placuit, unde maximo translata est jubilo, quæ capsā, sicut præfertur, inclusa crystallinā, præsentem in diem devotis peregrinis communstratur, primaque trium Translationum hæc numeratur.

4. Secunda contigit Translatio, Dominicæ Nativitatis anno millesimo, trecentesimo, decimóque, dum Sancta Pentec-

(a) *Ne laudes hominem ante mortem. Eccl. 30.*

tecostes solennitate Synodus Generalis Paduæ celebraretur, quando sacræ Reliquiæ, loco commodiore, templi prope modum in umbilicum transportatæ sunt, ut majori circumiri reverentia conditorum, omnique parte Sacris in illo litari possit.

5. Partus Virginei, quinquagesimo supra trecentesimum annum, & millesimum, tertio Translatio fuit instituta, cùm Guido Cardinalis Sandæ Cæciliae, per Italiam Legatus Patavium venisset, qui pro speciali sibi collato beneficio, manifesto scilicet erutus mortis periculo, singulariter se Sancto noverat obligatum, argenteamque thecam fieri curavit, quâ Reliquias ejusdem, anno millesimo, trecentesimo, quinquagesimo, paululum ante memorato, decimo quinto die Februarii denuo reponi jussit. Eapropter biennio post, Lugdunensium Comitiorum Generalium placitis decretum est, ut hujus ultimæ Translationis solennitas ad dictam Februarii decimam quintam diem, quotannis, duplicis Festi ritu, deinceps recoleretur. Quo Festo Martinus Quintus Pontifex Maximus omnibus Christi Fidelibus ad hanc diem templo Minorum Fratrum piè visitantibus, certas Indulgentias est clargitus, quarum hodiernam in diem adhuc viget usus.

6. Curiosis hic advertitur, quod in Annalibus Ordinis Seraphici notatur, recens videlicet memoratum Guidonem Cardinalem eandem ipsum esse, qui primæ præsens fuisset Translationi, quod equidem non improbarem; inde tamen dubius hæreo, dum exin elicio, centum, & decem annos hoc illum pacto percurritisse, quandoquidem prima Translatio Dominicæ Nativitatis anno millesimo, ducentesimo, tentioque sexagesimo, cùm Episcopi iam & Cardinalatus esset honoribus insignitus; postrema verò septuaginta post annis, Virginei nimirum Partus, millesimo, trecentesimo, quinquagesimoque celebraretur. Ut autem ad sacras Reliquias redamus, est id indubitatum planè, certissimumque, non in Urbe

Urbe tantum Patavina, verum & ubique locorum, quæ latissimè patet Orbis Christianus, ineffabilibus, maximisque meritis Antonii, sine numero, quibusvis propemodum horis signa perenniter elucere, non ut jam novi quid esse potent cultores ejus devoti, sed jure velut contractam obligationem, nec non ad instar portenti judicent, ubi miraculo desiderato votorum suorum ardantium non damnantur.

7. Homines aliquos reperire est, qui, dum tardius Divus Antonius optatâ, petitaque votis illorum gratiâ respondet, effigiem ejus duriuscule tractare solent, quæ res est digna censurâ graviore, quippe superstitioni similior, quam solidæ pietati; posset tamen quandoque sancta simplicitas illam excusare, quâli prædictus fuit Frater quidam, ut vocant, laicus, vel conversus Vir non antiquo candore minus, quam clarus inculpatæ vitæ testimonio. Huic ahenum improvisò delapsum est in puteum, quod multo labore nequicquam extrahere conatus est; cum vero tunc ejusdem operâ multum indigeret, ad Aram aliquam confugit, cui Beati Patris Antonii statua fuerat superposita, quam arreptam, illigatamque funi, magna cum mentis simplicitate demissam in profundum protinus retraxit. Res mira! rediit icon cum aheno, quod ex brachio sculptilis dependebat, pro quo magnas bonus Frater grates referebat. Quod vero pro vitæ probitate, mortuimque Fratris innocentia laudem hic meriti sortitum est, alii piaculo magno verteretur.

8. Postquam autem de Translationibus hujus Sancti Patris haec tenus actum est, aliqua nunc perstringemus de forma, modoque, quibus artificè penicillo fidelium oculis Sanctus exponi solet, ubi in symbolis apparetis ejus manibus, variantes artifices deprehendo: per Hispaniam enim, sinistrâ librum, cui superstat infantili forma Servator; dexterâ vero lilyum candidum ei passim appingunt, quod illibatam ejus Virginitatem, codex autem sacras denotat litteras, quarum ita Sanctus Antonius enituit scientiâ, dignus ut fuerit habitus, à Summo Pon-

tifice, quemadmodum in superioribus annotatum est, *Arca Testamenti* nominari. JESUS autem habitu puerili propterea solet adjungi, quod Dominus noster, & Salvator visus sit hoc modo Sanctum hunc infantilibus, & amorosis blanditiis dignanter amplecti.

9. (b) Et licet (Doctorum præcipuorum opinione) primus humani generis author Adamus divinæ Legis limites transgressus non esset, non intermisisset tamen DEUS hominis assumere naturam, dum verò causam hujus Doctores interrogantur, quod absente nimirum culpâ nullam DEUS ansam habuisset hominis redimendi? respondent: non ut Redemptorem quidem illum, sed hominibus veluti Largitorem suorum munierum liberalem in hæc sublunaria fuisse descensurum. Dum igitur huic innitimus doctrinæ, non absconum erit, afferere, DEUM quod illo tunc omnibus operatus casu fuisse, soli nunc Antonio præbuisse, singularis gratiâ consolationis, & honoris, Sancti fæ Patris hujus in manus demittendo. Sed tamen aliquis instaret, cur JESUS puerulus sinistro latere sisteretur? huic reponitur, id fieri propterea, quod pars illa cordi propior esset, quodque mens id, amore DEI saucia petiisset, (c) quam Sapientissimus ille, Regiusque Choraules in epithalamio suo sacro Sponsæ comparavit.

10. Sunt verò per Italiam nonnulli, qui pisces super librum effigiant, hanc opinor ob causam, quod pisces ejus profundæ, salubrique doctrinæ præbuerint aures; vel, si mavis, in ejus rei memoriam, quando pisces inter viscera, cuiusdam ejus cultoris annulus aureus repertus est, de quo postea. Solent alii calicem cum hostia, vel ostensorium, ut vocant ejus dexteræ præbere, quod volunt innuere, zelosum illum hujus, seruumque celsissimi Mysterii fuisse propugnatorem.

11. Osten-

(b) *Scotus 3. sent. dis. 7. q. 3. dub. 1. & dist. 32.*

(c) *Cant. 8. Pone me ut signaculum super cor tuum.*

zxxii 11. Ostendunt antiquissimæ tabulæ cor ignitum , innixum libro , quod Waddingus non huic , sed ascribit Magno Eremitæ Antonio , quem contra domorum conflagrationes , morbósque caloribus intensissimis causatos , Patronum homines in clamant : nec incongruè distinguit ; attamen opinioni neutri nobis placet adstipulari , cùm Euclionis illius infeliciter emortui , de quo superiùs , cor , quod Antonii præfagientis indicio , cistâ numarîâ , palpitans , repererunt , adumbrare possit .

12. Sed malumus afferere , picturas hujusmodi Sancto nostro propriè congruere , quippe quæ duas præcipuas qualitates ejus , quibus erat specialiter prædictus , designant , doctrinam scilicet ejus eximiam , per librum , & ardentissimam DEI dilectionem , per igneum cor repræsentatam . Sunt doctrina , charitásque Seraphinorum attributa ; quandoquidem autem se tales Antonius in terris exhibuit , hæc illi non immeritò sunt attribuenda . Præter hæc , est ille modus eum effigiandi , brevis velut epitome summae perfectionis , qua copiosissimè superefluebat . Unde Vercellensis Abbas , tametsi Doctor fuerit S. Antonii , se tamen discipulum ejus aestimavit , idque clarius insinuat , dum sensum suum , ut superioribus tactum est , propagat , idem verbotenus explicando , quod picturæ nobis solent objicere , scilicet amore cœlesti succensum illum intus in Deum ferri , divinâque scientiâ populos forinsecus illuminare .

C A P U T XVII.

Miracula quædam à S. Antonio post suam mortem edita.

§. I.

De Liberatis à potestate Dæmonis.

I. PERSTRINXIMUS in ante-dictis , vires propemodum mortalium excedere , singula , quæ post obitum in Italia , suis effacissimis precibus impetravit , enarrare : siquidem innumera sunt ostensorum , cuiusmodi Lusitania per idem ferè tempus

est experta , quorum vel unicum his annectemus , cuius Rex Dionyſius , rerum tunc ibi potens , testis luculentus esse potest. Erat Santarenæ , celebri Lusitaniæ Civitate mulier , quam variè cacodæmon lacesſebat , vim ſibi propriis manibus ut inferret , eidem proponendo , præter necem voluntariam , apud DEUM ſufficiens magis medium aliud non inveniri , noxas commiffas eluendi. Juxtâque ſuafionem hanc , forma viſibili Christi Crucifixi ſe dæmon ei ſpectandum offert , ſeriōque monitu miferam urget , perſuadetque , Tagum flumen ut petat , illóque ſemetipsam ſuffocet , per hoc hujus vitæ poenas evaſura , próque gloria vitæ felicioris emundanda. Quoniam igitur prius aſtu dæmonis eſt ſubacta , facinus id adimplere conſtituit , ad fluviuſ gressu properante pergit , vorticibus ſe commiſſura ; glorioſus verò Pater , cuius festo die ſcelus hoc apparabatur , rem impedivit : etenim prætergerra misera templuſ ejus , intrat , rogātque ſubmiſiſimè , velit Sanctus , fi fieri quoquo poſſit modo , certiore ſe reddere , placitane divinæ foret voluntati ſuimet ſubmersio , quam meditaretur. Fusis hiſ precibus , ſomnōque correpta ſuaviori , vocem audit Sancti Patris , tuum , ajetis , intuere ſinum , útque primū ſchedifima , quod repe- ries , legendo pervolveris , protinus tentatione te liberatam experieris. Experrecta mulier , gremiō ſcripturam invenit , quam perlegit , hæc continentem : *Ecce ✠ Crucem Domini , fu- gite partes adverſæ , vicit Leo de tribu Juda , Alleluja , Alleluja.*

2. Tantæ fuit medium hoc efficaciam , nullum ut hostis tartarei deinceps insultum ſenſerit , moleſtiis omnibus extricata , relatis eapropter Sancto , cum lachrymarum profluvio , gra- tiis immortalibus , pro tanti beneficij collatione. Divulgatur exin urbe tota miraculum , ut ad aures uſque Regis fama pe- netrārit , qui dignissimum proinde judicavit , personā propriā rem eam acuratius trutinare. Fœminam adſciscit , paret hæc , ſeriem totius aperit negotii , profertque ſyngrapham , quam Rex summa cum veneratione perlustrat , & quia Reliquias , eam,

eam, inæstimabilis esse pretii, judicarat, illam fœminæ non restituit, sed sibi servat; accidit autem, ut ingruente vespero miseram denuo diabolus infestaret, elatâ proinde voce, concessum hæc à Sancto, sibi remedium instanter repetit, quæ res ad Regem mox perfertur; quia verò Rex schedam ut propriam retinere statuit, transcriptam aliam fœminæ restitui jussit, quam ubi magnâ fide collo mulier appendit, mox omnes insidiæ diabolicæ sunt profligatae, chartam autem, ut ajunt, originalem, Rex inter pretiosissimas, rarissimásque Sacelli sui Regii Reliquias asservari præcepit.

3. Utitur verbis illis allegatis Sancta Mater Ecclesia, diversis occasionibus contra dæmones, procellas, aliásque depellendas adversitates, velut antidotò, quod Antonius ei subministravit, Officio parvulo Sancti Patris annexis.

4. Vivebat tunc temporis Linarii, loco per illud Regnum non incognitò, Matrona quædam, originis honestæ, vitæ, morumque tamen adeò profligatorum, annos ut integrös tredecim cacodæmonis commerciis uteretur, cuius impulsu plurimis, iisque gravissimis sceleribus clanculo se se contaminârat. Et sicut illa crudeli Domino merebat, ita tyrannidem ejusdem, à malo sibi dæmone suggestam, ejus familia patiebatur. Nihil præterea Christiani nominis in illa restabat, exceptò, quòd Fidei non renunciasset, neque nuncium cultui Divi Patris Antonii remisisset. Cùm igitur gravi tandem morbo corriperetur, atque propemodum ad extrema vitæ limina devenisset, tam ab omnib[us] suis oculis commissi reatus obversabantur, ut illorum desperans dimissionem constitueret, supremis in angustiis usu Sacramentorum, illorumque saluberrimis effectibus abstinere, diceretque, nolle se suam auri Sacerdotis conscientiam effundere, quandoquidem ineptam omnino se judicaret, ad hoc medium configiendi: tam fuit mulier abjectæ spei, nullus ut illum, exquisitissimis etiam monitionibus posset erigere; donec tandem duo de Minorum Fratrum Ordine domum ingressi, le-

cto desperabundæ propinquantes, illam ultra communem mortaliū aliorum ritum allocuti, novos animos addunt, securam reddunt indulgentiæ, quam in se vellent suscipere, dummodo solita, quæ præscripsisset Ecclesia Mater, ex parte sua, remedia non ipsamet recusaret, iisque promptius uteretur, quorum primum esset, sincera noxarum apud Mystam depositio; cum intimo sensu, doloréque, perperam commissorum.

5. Tantum authoritas apud illam valuit, & vis recentium Consiliariorum, protinus ut illis obsequeretur; siquidem adscito Sacrorum Curioni, præsentia duorum illorum Religiosorum animata, lachrymarum abundantia cum profusione, manifestis penitissimi doloris indicis exomologesin orsa persolvit, ut omnes, qui præsentes circumstabant, indubie cognoscerent, manum hinc supra naturalem esse cooperatam.

6. Reliquis etiam usq; est Sacramentis cum intensa devo-tione, sedata prorsus turbida conscientia tempestate, quemadmodum non sine præsentium admiratione suaviter animam exhalavit, tantoque magis populus mirabatur, quod adverteret duos illos habitu Minorum Fratrum induitos, qui conflctui mulieris, supremum cum morte lustantis, assistebant, momento citius, ubi primum anima corpus deseruit, oculis hominum erectos.

7. Conjectant ex hoc non inscitè, qui mortuam circum-stabant, non alios fuisse, duos illos Religiosos, quam Divos Franciscum, Antoniumque, quippe quos defuncta mulier, tametsi gravissimis per vitam sceleribus addicta, teneroris dilectionis tamen, & venerationis officiis est prosecuta, supernæ felicitatis ob hoc, uti speramus optimâ, particeps effecta.

8. Asservatur hujus facti memoria celebris, in Urbis Guardanæ, Conventu S. Francisci, quo loco mulieris hujus, dum viveret, infortunatissimæ, morte verò longè felicissimæ, corpus terræ mandatum est, ejus tumba nonnihil ab aliorum sepulchris discrepante, præsentemque in diem spectabili Lu-

pæ nomen erat mulieris. Et quantum ex veterioribus Chronicis conjecturâ licet assequi , communem Nobilium Ordinem videtur excessisse , quandoquidem aulam , numerosâmque familiam dicitur aluisse , quæ magnas opes , amplâmque bonorum arguunt possessionem. Vivere , morique maximi refert Antonio propitio , familiarique : siquidem experientiâ teste , suis clientibus maxima quæque potis est impetrare.

§ II.

De Pontificibus , Regibus , & Principibus S. Antonio devotis.

I. **S**ummorum aliqui Pontificum singulari charitatis in Sanctum hunc propensione ferebantur , quemadmodum Gre- gorii Noni supra fecimus mentionem , huic verò , quæ de Ni- colao Quarto , Bonifaciōque , qui dicitur Octavus , feruntur , adjiciemus. Inter alia , quæ sumptuosè Nicolaus Pontifex fieri curavit , etiam , juxta Sanctorum Apostolorum Imagines in Basilica Lateranensi , Divos Franciscum , & Antonium , velut præcipue Sanctitatis Viros , quos impensiūs venerabatur , effigiari mandavit. Cùm verò pauculis pòst annis in Pontificatu Nicolao Bonifacius successisset , Icones illas traxit in considerationem , minùs decere ratus , ut Ordinis Monachalis illæ duæ personæ , Principes inter Ecclesiæ Catholicæ statueren- tur , quippe , licet inter Sanctos numeratæ , quæ novæ tamen , longèque statûs essent inferioris. Accuratiūs igitur pondera- to negotio , tandem decrevit , ut Sancti Francisci quidem , tanquam , qui , longè , latèque divulgatum pœnitentium Ordi- nem instaurâisset , intacta remaneret , sed Antonii simulacrum dimoveretur.

2. Secundūm hæc artificibus præstantissimis in mandatis dedit , figuram ut Sancti tali demolirentur dexteritate , ne spa- tium orbūm , aliquâ deformitate fædaretur , animo , veterum ut alicujus Sanctorum Ecclesiæ Patrum simulamine vacuitatem resarciret. Cùmque Pontificis voluntati satisfacturi , machi- nas

nas operarii jam surrigerent , & suis quivis instrumentis munitus illas conscendisset , ad primum iectum , impactum cucullo statuae Beati Patris Antonii , subitanea vis ex illa prorum-pens magno fragore tabulatum integrum cum instrumentis , majore cum corruentium horrore decussit . Celeriter ad Pontificem casus perfertur , qui , cognito , vim eam esse supra naturam , cæpto desistens imperat , ieiū ut illius vestigium in perpetuam rei memoriam deinceps indelebilis perduret , qui teste Fratre Joanne dell'Haye , Parisiense , in Relatione sua ad annum 1641 . & P. Moncada , suo , quem edidit , libro , Lutetiis 1644 . typis impressum , in hunc diem conspicuus exhibetur . periculi plena res est , Antonii pensare merita , nec non illorum intuitu , mensurâque , debitum ei locum assignare velle , vel demere , quando DEUS suo , vices in terris gerenti , provinciam hanc denegavit . Unde nemo conjecturâ satis assequitur , quo DEUS suum hunc Sanctum habeat loco , quandoquidem vel ejus umbra , pariete depieta , terrorem iis incutit , illam , qui debitè non venerantur , quod factò præsente luculenter deduci potest . Quapropter meritis ejus dissonum non est , ut inter orthodoxæ lapides Ecclesiæ fundamentales , duodecim videlicet Apostolos collocetur , siquidem Christus Servator , Architectus , & angularis lapis hujus ædificii divini dignum , & æquum esse judicavit , Sanctus ut Antonius in primorum consortio fundaminum illorum constitueretur , qui , tametsi contemporaneus illis non fuerit , operibus tamen , quibus illius structuræ mysticæ promovere juvit augmentum , illorum prærogativas meritus est & dignitatem ; quemadmodum iis evenit , qui tardius aliis vineæ manus operarias admoverunt , eandemque meriti sunt solutionem , quam expectabant ii , qui summo mane conducti totam diem sudârunt , alferuntque . Jure proin optimo debebatur , hoc Antonio , quippe , qui doctrinæ suæ sagena magnam hominum multitudinem ad gremium Sanctæ Matris Ecclesiæ reduxit , & nedum vulgares , simpli-
ces-

césque, sed antesignanos hæreticorum, callidissimósque Magistros innumerabilis turbæ, velut pisces terreni maris constrainxit, dum fortissimis rationibus quosdam, miraculis alias, plurimos autem asperitimæ vitæ rigore superavit, atque convertit. Subjecit Ecclesiæ Sanctæ Civitates, & Provincias integras. Nec facile Sanctum erit reperire, qui DEO plures animas lucratus ad orthodoxam persuasionem revocarit. Unde cùm in Hispania primariò viro quandoque Sancti Patris memoria incidisset, non veritus est asserere, causam illam unicam fuisse, cur Omnipotenti DEO placuerit, Antonium tam citò vivis eximere: quòd nimirum juxta fructum, quem in animarum fecisset conversione, spatio brevi temporis Mundum universum correxisset. Et quomodo fini mundi, totalis ejusdem emendatio correspondere deberet, ita jam tunc Mundi terminus imminuisset. Ut igitur Mundus diutiùs subsisteret, divinaque providentia suum assequeretur intentum, tantò vixisse tempore breviori Sanctum nostrum in humanis, ut contra, coelestibus deliciis citius perfueret, exemptus Mundo, cui, post millium annorum, ab Apostolorum ætate, longissimum tractum fuisse innatus, ubi tanto labore, fructuque salutem zelatus esset animarum, ut DEUS illum contra vim, quam ei, locum inter duodecim Apostolos sibi congruum tollendo, conabantur inferre, quasi forti suo brachiō tueretur.

3. Papa Sixtus Quintus, horum omnium motu, tanta putavit Antonium de Catholica meritum Ecclesia, ut ordinariit ubique, ritu, solennitatéque, quam dicunt, dupli, festum ejus diem celebrari, specialem eapropter Romæ, Calendis Februarii, Dominicæ Nativitatis anno supra millefimum, quinques centesimō, cum octuagesimo septimo Bullam expedivit, quâ stupenda narrantur ejus merita, quibus adductus, hunc honorem Antonio decrevit, cui Romanō quidem Breviariō, Confessoris, per totam verò Lusitaniam,

Ordinémque Seraphicum , indultō singulari , Doctoris Eccle-
siæ cultus exhibetur, quemadmodum Synodo Generali Cister-
ciensis Ordinis, anno millesimō , ducentesimō , quinquage-
simō nonō in Aragonia celebratā , præter alia Patrum placi-
ta , simul & hoc fancitum est , ut Antonii Divi dies feriatus
æquali coleretur solennitate , cum Natalitiis Magni Docto-
ris Sancti Hieronymi , factūmque fuit hoc , (a) Waddingiō
teste , Summi Pontificis mandatō.

4. Porro , quando Summi Pontifices maximis Antonium
honoribus extulerunt , non minoris Reges inveniuntur obser-
vantiae, quā Sanctum nostrum suspiciebant , velut alias osten-
sum est , Sancium Regem , Secundum nomine , pro devotio-
ne , quā Sanctum respectabat , Fratrum Minorum habitu se
vestivisse. Modo ferè simili , Regis Alphonsi Tertii tempo-
ribus , Regiis illum personis in honore , pretiōque fuisse , re-
perimus : etenim Regis hujus una filiarum (prima fuit ha-
rum Leonora) quam causā reverentiæ versūs Antonium , Hele-
nam de S. Antonio nominarunt , hæc mutatō statu sacerulari ,
nominēque , se contulit ad celeberrimum Coenobium , quod
Pater ejus , & ipsa , Santarenæ (non procul Urbis moeniis ,
ad Sanctam Claram , Ordinis S. Francisci dictum) fundave-
runt , ubi vitæ , morūmque Sanctorum tantum fecit progres-
sum , ut tam in vivis , quām post excessum multis claruerit
portentis , quorum unicum duntaxat , in honorem S. Patris
Antonii , quasi proprium ejus opus enarrabo . Cùm aliquan-
do sacri Virginis hujus cineres ex uno loco transferrentur ad
alium ejusdem Claustrī , proptérque Nosocomium necessariò
transeundum esset , ubi tunc plures Virgines , affectæ variis
infirmitatibus decumbebant , omnes , mirum ! extemplo con-
valuerunt , reliqtisque stratis , Sanctæ Principis Reliquias ad
locum destinatum incolumes sunt prosecutæ , cui devotio
cum cognomine Sancti Patris Antonii peroptimè successit ,
qui

(a) Wadding. in Annal. ad ann. 1259.

qui sibi devotos, familiarésque suā tam feliciter afficit virtute, quām infelici peccatorum affrictu, suum peccator proximum respergit contagione. Suntque cultores ejus ut plurimū manifestis experientiæ, nec non historiarum testimoniis) vel bonaë vitæ, vel pro Sanctis habití, declaratique. Quodsi quandoque deficiat in aliquibus hujus experientiæ nota, semet convenienter ipsos, si non ipsi sinceræ familiaritatis, cum hoc Sancto continuandæ ponant impedimentum. Trium virorum sinceroribus commerciis, quoad vixerat, Sanctus Antonius utebatur, Fratribus videlicet Philippi, Fr. Lucæ, Rugeriique. Primus (de quo dubium) Castilianensis ne fuerit, an Lusitanus) illum Lisbonâ Maroccum, exin in Siciliam, & postmodum Assisium ad Synodum Generalem comitatus est, ubi sunt ab invicem divulsi, Philippus autem in illa societate, tanta virtutum præstantissimarum jecit fundamenta, Sanctus ut mortuus, habitusque fit, quemadmodum singularis illi festivitas est decreta, Maji Calendis in Italia celebranda, cùm Ecclesia Sancta Mater, Apostoli Divi Philippi soleniis occupatur. Frater Lucas oriundus Pataviô, non minùs eluxit Sanctitate, doctrinâque, quas Antonio Doctore conquisivit, hōcque gloriæ titulo sepultus ibidem, in Fano S. Patris Antonii, cultusque, veluti discipulus Magistri tam præcellentis. His non cessit Frater Rugerius, vitæ vir incontaminatæ, quam sanctâ quoque morte conclusit. Tantæ Sanctitatis in viros evaserunt, qui familiaritatis arctissima necessitudine proprius Antonio conjugabantur.

S. Propriissimum est hujus loci, quod hactenus distulimus, Sanctumque concernit Bonaventuram. Hic Sanctus, ut supra meminimus, in Divi Patris Antonii Translatione, linguam ejus vividam, & rubicundam, summâ cum reverentia sublatam manibus, dulcique cum lachryma devote basiavit. Cùm igitur post paucos annos intereisset Concilio Lug-

dunensi, jam in Purpuratorum Patrum Senatum assumptus, ubi de Græcis tractabatur, ab errore grandi, schismatique reducendis, cui pridem adhæsisserent, nec non ratio, modusque discutiebatur, quō tertia Persona Sacro-Sanctæ Triadis duabus aliis procedit, alias etiam à Patribus antea, Sanctoque Bonaventura, labore magno, sed nequicquam ad illud usque tempus ventilatus. Potuit in hoc Concilio Bonaventura suis rationibus facilis negotio Græcos inducere, manus ut Ecclesiæ Latinæ, fidemque darent. Quærunt itaque nonnulli, quomodo Sanctus Doctor illis, quos ipse, vel unus virorum excellentissimorum alius, in suam partem prius trahere nequibat, hac occasione tam parvis impendiis Fidem orthodoxam potuerit persuadere? Reponitur iis, causam hanc fuisse, quod Doctor Seraphicus Divi Patris Antonii linguam gestarit manibus, & illam reverenter fuerit osculatus, attacūque tali virtutem illam, & gratiam acquisivisse, sectas evertendi, sectariisque pertinacissimos convertendi, quō singulari dono propriè fuisset prædictus Antonius. Unde quicquid est Antonii, sufficens est magnas gratias, atque dona diffundere, quō modō castioniæ puritatem potuit ejus tunica conferre, de quo superius actitatum.

6. Quandoquidem Antonii perstringendo laudes à proposito defleximus, & narrandorum Regum, specialium Antonii cultorum seriem necdum absolvimus, cępto tramite progrediamur. Rex Dionysius, ob factum antememoratum, prodigia Sancti Patris Antonii miratus est vehementer, quæ magno semper habuit in honore. Joannes Secundus, Rex, cultor ejus præcipuus, honoris gratiā, parentum ejus, videlicet Martini Buglioni, Theresiæque Taueræ domum, sive palauum Lisabonæ convertit in splendidam Basilikam, suffigendo diversis in locis, ut ad initium dictum est, insignia Domus Buglioneæ. Multum obversabatur Sanctus hic memoriæ Regis Emmanuelis: etenim cum novum peditum Due-

storem denominaret Urbis Ceutæ, Duartum Buglionum ad hoc honoris officium sublimavit. Et erat primum hoc, quod administrârat, qui licet Vir esset talium qualitatum, cui majora possent committi, gratiam tamen Rex hanc ei præstítit, quòd esset Buglionus, Stemmatis Antonii Divi, Sorore Sancti descendens.

7. Sebastianus Rex merô charitatis erga Sanctum, & devotionis impulsu, per suum Oratorem à Serenissima Venetorum Republica Reliquiarum ejus aliquid sollicitè pettit, votique sui compos est redditus, dum eæ, reparatæ salutis anno 1570. in Lusitaniam perferrentur, & in proximè memorato templo repositæ, debita veneratione fidelium, & æstimatione coluntur.

8. Margaretha Philippi Tertii Conjunx, & Hispaniarum Regina, Princeps probissima, singulari, quam ad Sanctum Antonium gerebat, devotione, partem aliquam Reliquiarum sollicitavit, quam à dictis Venetis, adhibitâ summâ diligentia, tandem assecuta est, thesauri locò pretiosi venerata, quam cum aliis, quas habuit, in palatio reconditam, quoad vixit, illâ, cui, Deum versùs, & Sanctos, totam se dederat, pietate reverebatur.

§. III.

De Patrocinio S. Antonii in recuperandis rebus deperditis.

I. PRAEcellit reliquias Antonii prærogativas, quibus prædictus est, quòd legem quasi transcendat universalem, quâ Coelum DEUS, & terram cum omni, quam continent, creatura sapientissimè gubernat, in eo, quòd licet unicum, vel pauciora Firmamenti lumina tantum possent lucis, splendoris, & efficaciæ diffundere, quantum collectim omnia dispergunt; attamen divina providentia sapienter in multa dispenset officia, cuique singulorum suum obsequium assignando, per diem ut hoc sidus, per noctem alterum luceat: hunc

astrum hoc effectum , diversum autem aliud in sublunaribus excitare possit. Quemadmodum idipsum inter mortalium res advertimus , quando nulla provincia , Regnumque nullum , omnia solum , quæ sustentandæ vitæ sunt necessaria , sine defectu producit. Eodem , similique modo DEUS in Cœlis , inter Sanctos Advocatorum officia dispergitur : cùm hunc mederi læsis oculis experimur , sedare cephalæam sentimus alterum : antiades hic , flammarum Patronus alter pericula compescit , & sic aliis variis hominum sublevandis necessitatibus officia quilibet habeat distincta.

2. Solus Antonius , Sanctus est universalis : etenim is omnium Advocatorum Officium in omnibus administrat : si quidem nullæ preces , votum nullum , anxietas , periculum , aduersa nulla sunt , cui non succurrat , atque tam in minimis , quām in maximis invocetur. Tam promptus est studiosis suis cultoribus res grandes perditas recuperare , nullam ut aciculam negligat. Non est Sanctus , quām Antonius , magis obvius , & notior , qui propè singulis horis , in omnifariam occasionibus à Christianis fidenter acceditur. Et sicut est prærogativa , singulari gratiæ , morbo cuidam speciali , calamitative posse subvenire , sic unicum est privilegium censendum , omnibus Antonium auxiliari posse. Sanctorum aliorum ornantur manus instrumentis sui Martyrii , vel symbolis aliis ; signum autem est Antonii , JESUS Infantulus , manu gestatus , favore , quō gratiæ prioris securus Antonius redditur , quod videlicet possit omnia. Tantò verò minoris est admirationis , Sanctum hunc omnia posse perficere , cùm omnia portet suā manu. Particulariter autem virtute pollet , res amissas reducendi , cujusmodi quilibet ejus cultor frequentiores , quām calamus hic occasiones narrare posset , quarum innumerauit , tam quæ calamō sunt exceptæ , quām quæ sc̄iptæ non sunt , quovis tamen accidentū momentō , recensione supersedemus , solum illas recitabimus , quæ cau-

â modi, personarumque, quibus vario tempore contigerunt, sunt memorabiles.

3. Notæ Nobilitatis Eques aliquis Tridentinus, Senguinis illustris igenuitate, fortunis præterea per amplis locuple-tatus, Divique Patris Antonii cultui singaliter studens, ani-mi quandoque causâ, navigio maris, propter allambentis, invectus est brachium. Is magni valoris gemmam inclusam aurô, digitô gestabat, quam ipse plurimi faciebat: cùmque vellet illâ digitum exuere, suis ut comitibus perlustrandam exhiberet, infortuniô non speratô, manibus elapsus unio mari demergitur. Jubet exinde fisti navim, atque pescatorum retibus annulum adhibitâ summâ diligentia solerter perquiri, sed gratis. Unde conturbatus domum tristis remeavit, acces-sô postridie Guardianô Monasterii Sancti Francisci, suô fa-miliari. Qui notato mœrore, cuius principium non ignora-bat, bonô jubet animô virum esse, mœstumque solatus mo-net, non desistat votis apud S. Antonium instare, velle se quo-que conjunctis juvare precibus, atque suorum concinente Choro Sacris ut litetur curaturum, factumque quod Antistes spopondit. Adstat ipsemet Eques Sacris, Divóque suam im-pensiùs commendat necessitatem. Absolutis vix dum divinis, confert se Nobilis ad forum, fratribus inde donarium aliquod remissurus, in varia piscium incidit genera, majorisque mole corporis insigniorem coemit, quem Guardiano mittit. Qui cùm Fratrum fuisse prandio paratus, frustatumque divisus, enmirum! amissus inter lactes appareat annulus, cuius mox Equitem reddunt certiorem: adit hic citius Monasterium, suóque pariter & aliorum magno stupore, quo res erat dignis-sima, conclamatum resumit unionem. Narrant, qui profana tractant Scriptores, vel fingunt magis, Principem aliquem ri-dente semper usum fortunâ, tantâ denique blanditiarum ejus esse satietate repletum, ut illarum excitando nonnullo fasti-dio, gemmatum rarissimi valoris annulum in mare projecerit,

experturus illius jaēturā, si possibile, mentis aliquam afflictionem: verūm intento suo frustratum, siquidem in pisce, pro cœna sua viscerato, quem aquis annulum illo die Princeps commendārat, recepisset, adeoque ne minimum quidem adversitatis aut tædii, perennis felicitas ei sensum concederet, donec tandem cum hostibus hostiliter congregatus, ab iis superatus, captusque laqueo strangularetur. Sors autem hæc blanda cum exitu tam infelici, radice valde mala protuberauit; ast manu profluens Antonii quodcumque beneficium, suam facile prodit originem, quippe quod homini, cui confertur, ansam præbeat, & ostendat media, quibus finem vitæ felicissimum obtinere queat.

4. Ambrosius Catarinus, Episcopus, Ordinis Prædicatorum, Vir virtutum, ac præterea scientiæ litterarum ornamentis conspicuus, inter alios, quos conscripsit libros, unum concinnavit, cui titulum, *Sanctorum Gloria*, præfixit, quo factum jam exprimendum adducit, quod Antonii meritis evenisse sibi docet. Is etenim, cùm aliquando Tolosâ longius proficeretur, & eundem, quem diximus, adhuc manu descriptum Codicem, præter alias suas lucubrations, quæ varias contra Sectariorum objecta continebant annotationes, se penes haberet, typis mandandum, evenit, ut omnia scripta, dum itineratur, sensim exciderent imprudenti, quod ubi post aliquot emensa passuum millia primùm advertit, subitam fudorum omnium, & vigilarum jacturam (ut quivis facile conjecturabitur) indoluit vehementer. Viam igitur Tolosanam remetitur, attamen de scriptis perditis redux nihil inaudit. Dimittit quævis Urbis Gubernator, illi notus familiariter, qui solertissimam voluminibus reperiundis operam navarent, sed caiso prorsus conatu.

5. Regreditur denuo, quod bis jam emensus est iter Ambrosius, dūmque pensaret tacitus, humanam omnem operam gratis adhibitam incidit illi, Gloriosi Confessoris Antonii, quem

quem versus, ob hoc incommodum preces ardentes dirigit, annexa firma sponsione, si librum amissum recuperaret, hoc se pro Sancti gloria, velut ab illo sibi concessum beneficium, præcipua inter Sanctorum excellentias, eidem volumini, perrennum gratiarum in argumentum, inserturum. Vix totum Pontifex effatus, obvium habet peregrinum aliquem incognitum, à quo, num librum cum scripturis aliis amisisset, rogatur? affirmat Ambrosius, horum se damnum incurrisse: ducitur proin ab homine mox ad locum, ubi sine defectu cujusquam folii, res desperditæ jacebant: quod Ambrosius donum, ab Antonio profectum, redhibitis gratiis, agnovit, solvendique voti sui gratiâ, quod pressius hic est adductum, pluribus ipse libro suo divulgavit.

6. Ignigus Manriqueius, Episcopus Cordubensis, & Inquisitor in Hispania Generalis, multum Antonii meritis fidebat, sedque propterea potissimum, quod plurimas ab ipso, variis occasionibus gratias impetrasset; Antonius vero semel, implorata non succurrit ope, quam Praeful hic desiderabat, annuli causâ, cui nobilis erat inclusus unio, quemve, dum Sacris Pontificiis initiaretur, digito gestabat, ob id valoris inæstimabilis habitum: etenim cum Ignigus illum vel casu, vel furto perdidisset, ad Antonium quidem, solenni sibi more confugit. Plures litari Sacris, aliasque fundi preces curavit, sed sacris, humanisque nequicquam adhibitis mediis, in nullam amissi potuit annuli notitiam devenire. Rem igitur, ut irremediabilem, illius damni sensu devorato, supervacaneum duxit ulterius indagari. Plures exinde dies intercurrerunt, post quos Ignigus suorum quibusdam necessariorum, familiariumque convivium apparavit. Incidunt inter epulas, ut assolet, sermones varii, cum reliquis etiam S. Antonii predigiorum, ubi tum infit Episcopus, plurimum se Sanctodevotionis, & gratiarum obligationibus esse devinatum, ejus ob frequentia beneficia, quibus multoties perfruitus esset, tametsi ferret ægrius, quod rem à se non parum æstimatam, sibi, mul. tis delibutus obsequiis non revelarit. Haud sinit sermonem Pra-

ful, cùm ecce! super mensam, illam ipsam, annulus delabi percipitur, quam hospites circumfundebant, nemini visâ tamen manu, quæ gemmam projecisset. Obstupescunt omnes, mutuò se cum convivis facer Antistes contuentur, & casum subitum, sub oculis accidentem attoniti mirantur, quô major etiam omnibus erga Divum Antonium devotio crevit. Apparet, non fortuitò S. Antonium istud eò usque beneficium distulisse, quando fructum salutis largiorem ei, qui recepturus illud esset, & testibus ejus præsentibus foret allaturum.

7. Præ reliquis innumeræ disparitatis historiis, quas in genere res perditas reperiendi, de Sancto Antonio narrant, illam exilem quidem, amissæ rei materiâ, modo tamen & formâ, quibus ea reperta est, altius autumant præeminere. Frater aliquis conversus, Capucinorum Ordinis in Sicilia, globulos inter precarios numisma dependens è chorda gerebat, inter pretiosa sua, propter Indulgentias eidem à Summo Pontifice concessas, æstimatum. Huic cùm fortè fortuna numus inadvertenti decideret, innotato defectu tantum indoluit, ut jacturæ thesauri magni, dampnum istud æquiparârit. Unde summo studio rem indagat, scitandoque tandem fessus desistit; sed recordatus antiphonæ, paulò pòst apponendæ, devotiùs illam percurrit. Vixdum process finit, formicam aspicit, ore suo numisma bajulantem adrepere. Obstupuit bonus Frater, miraculi partim novitate, partim lætitia, quid ageret nescius; tandem tamen sibi redditus, allevat suo bajulum inusitatum onere, mercedisque locò, præter summarum actionem gratiarum, intimo devotionis affectu, dulcium lachrymarum pensum Antonio Divo perfolvit.

8. Magnum formicæ nomen Salomon Sapientissimus conciliavit, cùm illam homini somnicolofo proponens in suarum exemplum actionum, ait, illam ut sibi, velut Magistram, rarioris doctrinæ præfigeret, providendi futuris, atque laborandi: maiorem autem ei præconii gloriam Antonius hoc facto comparavit: siquidem dum Salomon illam in proprio suo commodo conquirendo,

do, solerterem, prudente inque judicavit, Antonius contra, nobis illam ideæ locò producit, quæ relictō bonō domesticō, se sedulam alienæ procurandæ commoditatis exhibeat: quippe quæ futuræ comportandæ sustentationis interrupto studio, numismata perditum obsequiosè, solandis aliis, oris sui rostello reportarit. Narrant, Seraphicum Patrem S. Franciscum huic bestiolæ non affectum adeò, quod illa majori curæ colligendarum, & tuendarum esset opum addicta, quam curam Franciscus plurimū abhorrebat, abstractus videlicet à terrestribus, solumque divinis, & quæ salutem hominum concernerent, intentus. Nunc Magne Patriarcha! nunc benevolum te laboriosæ formiculæ monstraveris, quandoquidem Antonius, genuinus tuus Filius, zeloque Spiritus Franciscus alter, stupenda naturæ mutatione vermiculum illum adegit eò, proprium ut oblitus compendium, humanæ mentis serviverit consolationi, dum ori suo solamen, quò bonus Frater amissione numismatis æstimatissimi privabatur, divinitùs adportaret.

9. Cortesius Hispanus, Astronomus laudatissimus, qui varijs hujus artis libros typis edidit, hujus, aliorūmque prodigiorum intuitu, solitus est iis, qui notam à se, sive signum, res perditas investigandi, postulassent, respondere, signum id esse prorsus infallibile, dum Antonium devota mente quis invocarit, quod ipsum frequenter experientiâ comprobasset, uterentur pro in hoc medio securè, quandoquidem ut plurimū aliâ fallaciâ parum plerumque possent, præterquam quod honor insontium, famaque non raro periclitetur, malæque suspiciones, in veritate non fundatae, per ea multoties oboriantur. Ut autem Consilium hoc oretenus aliis Cortesius suggerebat, ita suis idem insertum commentariis reliquit: etenim eidem loco, quo Regulam faciendi notas, & figuræ tradidit, preces, & Responsorium miscuit, quibus ritu Catholico solet Ecclesia pro rebus perditis Antonium invocare, tenoris jam exhibendi.

539930 P 30



RE-

RESPONSORIUM, à S. Bonaventura honori Divi Antonii de Padua adornatum, quod indies multis comprobatum miraculis, efficax in omni necessitate præbet auxilium.

- R. **S**i queris miracula, mors, error, calamitas, Dæmon, lepra fugiant, ægri surgunt sanis. Cedunt mare, vincula, membra, r̄sque perditas, petunt, & accipiunt, Juvenes, & cani.
¶. Pereunt pericula, cessat & necessitas. Narrent hi qui sentiunt, dicant Paduani.
¶. Cedunt mare, vincula, membra, r̄sque perditas, petunt, & accipiunt, Juvenes, & cani.
Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.
R. Cedunt mare, vincula, membra, r̄sque perditas, petunt, & accipiunt, Juvenes, & cani.
¶. Ora pro nobis Sancte Antoni.
R. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

O R E M U S.

Mitissime, ac clementissime JESU, qui B. Antonium Confessorem tuum perpetuis tuis illustras miraculorum splendoribus: concede propitius, ut qua per ejus merita fideliter petimus, per ejus intercessionem efficaciter consequamur. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus Sancti DEUS, per omnia saecula saeculorum, Amen.

Pater noster, & Ave Maria.

ADMONITIO DE CULTU S. ANTONII.

Communiter reueretur more non minus, ut Sanctis aliis, huic certom Anni diem solemnum celebrare: Peculiare tamen hoc est S. Antonio, ut dies unus cuiusvis bebiomadis, & is quidem dies Martis, seu Feria tertia ejus cultui designetur. Et certè innumeris, ac quotidianis pene prodigiis Christi Fideles experzi sunt, quam acceptus DEO, & S. Antonio specie hic colendū modus: dum videlicet novem diebus Martis bonum aliquod opus in honorem DEI, S. Antonii Paduani, ac novem Chororum Angelorum perficitur: præsertim si ejusmodi pio operi omnibus novem diebus Martis, vel ad minus semel intra illud tempus, Sacramentalis peccatorum Confessio. & devota Eucharistia sumptio, recitatio item Responsorii, ac aliae preces ad Divum hunc Thaumaturgum Antonium, adjungantur. Vix est repertus, qui vera in DEUM fide, & confidentia hoc pietatis genus peregerit, ac beneficium singulare sibi propositum non obtinuerit.

Privilegia Seraphico Patri FRANCISCO à DEO collata.

Refert Gregorius IX. se à B. Francisco audivisse, quod tria à Domino obtinuerit Privilegia: I. quod quantum plures Fratres fuerint in Ordine suo, tanto abundantius eis providebitur. II. quod nullus in Habitū suā Religionis possit male mori, si nimis vita sit conformis Habitui. III. quod quisquis Ordi em suum persecutus fuerit, graviter à DEO puniretur, & dies suos brevi, & male finiret.

Alia tria Privilegia in Monte Alvernæ B. FRANCISCO tempore

Stigmatizationis promissa.

I. Quod Ordo suus duraturus sit usque in diem Iudicii. II. quod nullus volens in Ordine male vivere, p̄fīs diu perseverare in malo, sed vel penitens emendabitur, vel sibi valedicet. III. quod quisquis Ordinem suum sincerè dilexerit, licet maximus peccator existat, DEUS ita res ejus disponet, ut misericordiam tandem à se in fine consequatur. Vadingus Tom. I. ad Annū 1213. & ex eo Lancieius Societatis JESU Opusc. Spir. c. 19.

F I N I S.